DISSERTATIO

HISTORICA ET LITERARIA

INAUGURALIS

DE

CAJO MARIO,

CAJI MARII FILIO.

DISSERTATIO
HISTORICA ET LITERARIA
INAUGURALIS

DE

CAJO MARIO,
CAJI MARII FILIO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

PHILOS. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

HENRICUS JANUS HAZENBERG,

LUGDUNO-BATAVUS.

DIE XXVII APRILIS MDCCCXXXVIII, HORA XII—I.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG JUNIOREM.

MDCCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

COGNATIS,

PRAECEPTORIBUS

ET

AMICIS

HANC QUALEMCUNQUE DISSERTATIONEM

OMNI, QUA DECET PIETATE,

D. D. D.

Auctor.

PRAEFATIO.

Hunc meum libellum verbosâ praefatione non indigere, res ipsa loquitur. Primum enim nihil aliud continet, nisi enarrationem eorum, quae de Cajo Mario, Caji filio, ad meam notitiam pervenerunt, atque ad eum proxime pertinere mihi visa sunt. Deinde satis constat, quo consilio et quam ob causam ejusmodi lucubrationes, qualis haec mea est, vulgo componi et typis excudi soleant. Haud enim facile quemquam invenies, modo ei Edictum Regium de Studiorum Academicorum ordinatione *no-*

tum sit, quin sciat, in Patriâ nostrâ posse neminem munus scholasticum obtinere, nisi qui Literarum Humaniorum Doctor et Philosophiae Theoreticae Magister creatus sit. Quae igitur quum, uti aliorum antea, sic nunc quoque mea causa fuerit; quivis ultro intelliget, cur animum ad conscribendam dissertationem appulerim.

Interim tamen ut nihil omnino huic libello praefarer, id a me propterea impetrare non potui, quod verebar, ne ingrati animi accusarer, si hac tam opportune mihi oblatâ occasione haud uterer, ad Magistris meis debitas gratias persolvendas.

Ne igitur quis mihi merito objiciat, me aut ignorasse, quid officii mei rationes postularent, aut certe, si vel maxime scivissem, tamen facere neglexisse, Vobis, Viri Clarissimi, quorum institutione in hàc bonâ mentis Palaestrâ frui mihi contigit, summas gratias et habeo et ago pro omnibus illis commodis et beneficiis, quae in me per omne illud tempus contulistis, quod sub Vestris auspiciis in hac Academiâ Lugduno-Batavâ suaviter et utiliter transegi, Vosque etiam atque etiam rogo, ut me tamdiu patrocinio Vestro adjuvetis, quamdiu me eo dignum judicabitis. Sic enim nullum omnino erit dubium, fore ut Vestro favore semper fruar, deque eo gloriari possim.

Neque Vos silentio praetereundos esse statuo, Amici Carissimi, quibuscum me amicitiae vinculum arctissime conjunxit. A Vobis peto, ut semper mei aeque amanter memores maneatis, atque ego memoriam Vestrûm semper grato animi sensu recordabor.

CONSPECTUS.

CAPUT I.

DE RERUM ROMANARUM STATU, AB INITIO USQUE AD BELLA CIVILIA.

CAPUT II.

DE C. MARIO, C. MARII FILIO.

CAPUT PRIMUM.

DE RERUM ROMANARUM STATU, AB INITIO USQUE AD BELLA CIVILIA.

Populus Romanus primum sub *Regibus* fuit. His A. U. C. 245 expulsis, creati sunt *Consules*, qui imperium gererent (1). Hi annui magistratus, regiâ potestate praediti, debebant curare publica, hoc est, omnia ea, quae ad religionem, ad bella, ad pacem, ad foedera et hujus generis alia spectarent. Hinc extra Urbem summi ducis personam gerebant, exercitibusque praeërant (2): in Urbe au-

(1) Liv. Lib. I. c. 60, II. c. 1., Eutrop. Lib. I. c. 9.
(2) Cicero de Lege Agrar. Orat. II. c. 12, Liv. Lib. III. cap. 20. et 66.

tem sacra faciebant (1), censum agebant (2), judicia exercebant, et praesides senatûs erant (3).

Quum vero hi Consules e patriciis lecti suâ potestate jam mature abuterentur, et plebem admodum vexarent, haec istarum injuriarum impatiens, ut durum illud sibi a patribus impositum jugum excuteret, in montem Sacrum trans Anienen secessit (4), nec prius inde redire voluit, quam ex plebe creati essent magistratus, quorum praesidio contra vim et impotentiam Consulum ac patrum omnino munita esset. — Itaque *Tribuni plebis* creati sunt circa A. U. C. 261 (5).

Et quamvis potestas horum Tribunorum non tam in agendo, quam quidem in prohibendo posita esset, tamen, creatione illorum, via ad rixas et altercationes inter patres ac plebem magis etiam excitandas, alendas et augendas aperta est. Cujus mali causam in eo praecipue positam fuisse arbitror, quod lege

---

(1) Liv. Lib. XXI. c. 62 sq.

(2) Liv. Lib. III. c. 3.

(3) Liv. Lib. II. cap. 1 et 5. III. c. 5. Ceterum operae omnino pretium est cum his allatis locis de Consulum muneribus conferre Polyb. Hist. Lib. VI. pag. 460 sq. C.

(4) Cic. de Rep. L. II. c. 33., Liv. L. II. c. 32., Dionys. Halic. L. VI. p. 375.

(5) Cic. in Orat. pro C. Cornelio, Liv. L. II. c. 33.

cautum erat, *ut caput ejus, quicunque tribunum plebis laesisset, sacrum esset* (1).

Interim penes patricios erant illo tempore omnia sacerdotia, omnes honores, omnis jurisdictio. Soli patricii in omni rerum abundantiâ vivebant, et omnibus emolumentis publicis soli fruebantur. Plebeji contra ea, utpote ab omnibus honoribus exclusi, et insuper continuis bellis aliisque oneribus pressi, in summâ rerum inopiâ vitam miseram trahebant, aere alieno obruebantur, et obruti passim a creditoribus in carcerem conjiciebantur, nec ullum miseris auxilium in Consulibus erat (2).

In tam tristi conditione quum plebs versaretur, profecto non est, quod miremur, cur Tribuni, quos violare nefas et capitale esset, nihil aliud magis cuperent, quam ut suam potestatem sensim augerent, et sic simul etiam vires plebis amplificarent, eique, damno patriciorum, prospicerent (3). Quod quomodo lente perfecerint, breviter exponere operae pretium duco.

Primum igitur operam dederunt, ut jus agendi cum populo obtinerent. Deinde, hoc jure impetra-

(1) Liv. L. IV. c. 2. L. II. c. 33, Pighii Annal. ad A. U. 260.
(2) Liv. Lib. II. c. 32, Eutrop. Lib. I. c. 13.
(3) Liv. Lib. IV. cap. 2.

to, id ante omnia alia egerunt, ut Comitia tributa instituerentur, in iisque plebeji magistratus, *Tribuni et Aediles*, crearentur. Optime enim praevidebant, si hi non amplius in Comitiis curiatis nominarentur, fore ut patricii cum clientibus suis brevi omnem illam vim amitterent, quam hucusque in eligendis illis magistratibus, populo ad suffragia ferenda curiatim convocato, exercuissent (1).

Tandem prodiit Tribunus, circa A. U. C. 291, novam rogationem promulgans, ut nimirum *Quinque Viri* crearentur, qui de Consulari imperio leges scriberent (2), iisque caverent, ne causae publicae pariter atque privatae ex arbitrio Consulum amplius penderent, sed secundum certas leges dijudicarentur et dirimerentur.

Quae C. Terentili Arsae rogatio quam vehementer patribus displicuerit, vel ex eo apparet, quod illa, quamvis minantibus ac frementibus deinceps tribunis, tamen per decem ferme annos omni successu caruit (3).

Demum circa A. U. C. 301. senatus assiduis tribunorum posteriorum precibus tandem commotus,

---

(1) Cicero de Leg. Lib. III. cap. 7 et 10, Liv. L. III. c. 35.
(2) Liv. Lib. III. c. 9.
(3) Liv. Lib. III. c. 1.

nec diutius tam utili ac reipublicae in posterum profuturae legi resistere satis aequum judicans, tres legatos in Graeciam, ad optimas quasque leges, praecipue Solonis, colligendas misisse perhibetur (1). Quibus reversis, *Decemviri* summo cum imperio ac sine provocatione (2), reliquis omnibus interea magistratibus sublatis, creati sunt (3).

Hi decemviri, finito imperii sui primo anno, leges in tabulas *decem* divisas, ad reipublicae usum accommodatas, summâque aequitate et prudentià conscriptas in Comitiis centuriatis pertulerunt (4).

Jam autem, ne decemviri, his feliciter ad finem perductis, suo munere defuncti dici possent, ipsi callide causabantur, *duas* adhuc tabulas deësse, iisque additis, Juris Romani veluti corpus absolvi penitus posse (5).

Haec laeta rei tamdiu jam desideratae exspectatio efficiebat, ut in annum subsequentem, excepto uno Appio Claudio, prorsus alii decemviri subrogarentur (6). At horum fides et justitia minus quam

---

(1) Liv. Lib. III. c. 31.
(2) Cic. de Republ. Lib. II. c. 31, de Lege Agrar. Or. II. c. 22.
(3) Liv. Lib. III. c. 32 sq., Eutrop. Lib. I. cap. 18.
(4) Liv. Lib. III. c. 34.
(5) Liv. Lib. III. l. l.
(6) Liv. Lib. III. cap. 35.

superiorum laudari potuit. Imperio fere ut tyranni praeërant, atque duas iniquarum legum tabulas prioribus addebant. Quapropter, quum in tertium annum, sine populi comitiis, nullisque magistratibus sibi subrogatis, imperium retinere vellent (1), eoque dissoluta Appii libido accederet (2), tanta omnium rerum perturbatio subito exorta est, ut plebs in montem Aventinum (3), relictâ denuo Urbe, secederet, atque a militibus adjuta, superbis hominibus non modo imperium extorqueret, verum etiam alios in carcerem conjiceret, alios exsilio puniret, alios supplicio afficeret, atque Decemviralem potestatem in perpetuum tolleret (4).

Vix autem, sublatâ Decemvirorum tyrannide, tribunicia potestas restituta erat, et rerum summa rursus ad *Consules* pervenerat, quum fatales istae lites inter patres ac plebem, quae aliquamdiu intermissae fuerant, denuo renovabantur (5).

Tribuni scilicet, quamvis jam popularitate duorum consulum, L. Valerii et M. Horatii, id quoque adse-

---

(1) Liv. Lib. III. c. 36. 37.
(2) Liv. Lib. III. cap. 44 sq., Eutrop. Lib. I. c. 18.
(3) Liv. Lib. III. cap. 50.
(4) Liv. Lib. III. cap. 54. Eutrop. Lib. I. c. 1.
(5) Liv. Lib. III. cap. 54.

culi essent, *ut populum teneret, quod plebs tributim scivisset* (1), tamen aegre ferebant, quod lege XII tabb. sancitum erat, *ne plebi cum patriciis connubia essent* (2), atque praeterea etiam id jam animo agebant, ut plebi aditum ad honores aperirent. Itaque duas deinceps rogationes promulgabant, alteram *de mutuis inter patricios et plebejos connubiis* (3); alteram, *ut populo potestas esset faciendi consules, quoscunque sive de plebe, sive de patriciis vellet* (4).

Quantum hae rogationes patrum indignationem excitaverint, ipsorumque animos exacerbaverint, intellectu sane haud difficile est, modo quis meminerit consuetae patriciorum superbiae, quâ non modo plebem habebant, verum etiam tribunorum conciones, ad patriciorum auctoritatem infringendam habitas, eludere studebant.

Hinc rursus novae eaeque vehementissimae lites movebantur. Verum potestas tribunicia jam nimis altas in republicâ radices egerat, quam ut patres ex hoc certamine victores abire potuissent. Quod

---

(1) Liv. Lib. III. cap. 55.
(2) Cicero de Republ. Lib. II. cap. 37.
(3) Cicero de Republ. Lib. II. cap. laud., Liv. Lib. IV. c. I.
(4) Liv. Lib. IV. I. I.

igitur quum hi ipsi probe intelligerent, tandem post multiplices deliberationes plebiscitum Canulejum *de promiscuis connubiis* ratum habuerunt (1). Cujus senatus-consulti praecipua causa haec fuit, quod patres sperabant, fore ut tribuni, hoc patrum beneficio et liberali concessione contenti, alteram rogationem de promiscuis consulibus omissuri essent (2). Quod tamen longe aliter evenit. Tribuni enim hâc novâ de senatu reportatâ victoriâ audentiores etiam facti, summis viribus contendere pergebant, ut alter consulum ex ordine plebejo fieret (3).

Atque dictu sane incredibile est, quam graviter haec tribunorum pertinacia patrum animos perculerit. Nimis temerarium et nullo modo ferendum hoc ipsis videbatur, quod homines, qui nec gentem, nec auspicia haberent, consulatum petere eoque fungi velle auderent. Ut igitur ex isto odioso ipsisque maxime molesto negotio se expedirent, et ingens, ut putabant, malum quoquo modo a republicâ averterent, effecerunt, ut loco Consulum *Tribuni militum consulari potestate* ex utroque ordine crearentur (4).

(1) Vid. Cicero de Republ. Lib. II. c. 37., Liv. Lib. IV. cap. 6.
(2) Liv. Lib. IV. cap. laud.
(3) Liv. Lib. IV. c. 1.
(4) Liv. Lib. IV. c. 1., Eutrop. Lib. II. cap. 1.

Rebus ita ordinatis, ab A. U. C. 310 per septuaginta propemodum annos modo Consules, modo Tribuni militum consulari potestate in republicâ fuere, prout hujus illiusve ordinis, sive patricii sive plebeji, auctoritas in comitiis praevaleret (1).

Et ne sic quidem desinebant tribuni quâvis occasione de patriciorum superbiâ et injuriis queri, et senatui molestias creare. Id enim spectabant tribuni, ut plebs in administrandis rebus publicis, tam divinis quam humanis, eodem omnino jure, quo patricii, fruerentur. Quum enim obtinuissent, ut circa A. U. C. 387 primus e plebe Consul creatus esset (2), atque senatus novos instituisset magistratus, *Praeturam et Aedilitatem Curulem*, quibus factam suo ordini in causâ Consulatus jacturam restituerent (3); continuo plebeji incitati a tribunis istos quoque honores ambierunt et acceperunt (4). Atque tandem, ut omni ex parte juris aequalitas exstaret, nec patriciis ullus honos privus amplius esset, plebeji *Censurâ* quoque fungi ac *Sacrorum antistites* fieri voluerunt. Quod ipsis patres item concedere coacti sunt (5).

(1) Liv. Lib. IV. cap. 7.
(2) Liv. Lib. VI. cap. 42.
(3) Liv. Lib. VII. cap. 1.
(4) Liv. Lib. VII. l. l., VIII. cap. 15.
(5) Liv. Lib. VII. cap. 22.

Interim tamen probe tenendum est, hos ad juris aequalitatem obtinendam per annos ducentos ac plures tractos motus domesticos, quamvis civitati Romanae haud parum nocuerint, et impediverint, quominus fines imperii fuerint prolati, hostibus tamen reipublicae parum omnino profuisse. Id enim populo Romano inprimis proprium ac familiare erat, ut mutuâ discordiâ quidem laborarent, si pace fruerentur, at vero statim ad concordiam redirent, quum bello premebantur. *Cari* quidem ipsis erant *liberi*, *cari parentes*, *sed omnium caritates*, ut dicit Cicero (2), *una patria amplectebatur.* Quid multa? Quamdiu hic amor studio virtutis sustentatus in animis Romanorum vigebat, tamdiu erant invicti. Ex historiâ enim novimus, ipsos, licet multis proeliis superatos, tamen nullis unquam bellis devictos fuisse, quod, quum semel arma cepissent, illa non, nisi hostibus penitus subactis, deponerent. Testes sunt non modo ad unum omnes Italiae populi, verum etiam exterae nationes (Galli, Hispani, Graeci, Carthaginienses et aliae,) quae sex prioribus post Urbem conditam saeculis debellatae sunt a Romanis, atque in ipsorum potestatem deinceps venerunt.

---

(1) Cicero de Offic. Lib. I. cap. 17.

Sed quoniam naturae perpetua lex haec est, ut ad summum perducta in fastigio suo haud diu morentur, sed ad infimum rursus sensim relabantur; quid mirum, si Romanae quoque reipublicae eandem sortem evenisse videamus? Quum enim post eversam Corinthum, post excisam Numantiam et sublatam imperii aemulam, Carthaginem, Romani ad illud honoris veluti culmen escendissent, ut, *ab ipsis vinci neminem amplius puderet* (1): tunc accidit, ut ipsorum res in deterius vergerent.

Metu nimirum remoto, quem Romanis illae funditus deletae civitates, pro viribus quaeque suis, tamdiu injecerant, *non gradu, sed praecipiti cursu, a virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas* (2).

Qui enim antea inter se de virtute, libertate et gloriâ certaverant, iidem mox pravis moribus corrupti, non nisi de opibus ac divitiis cumulandis cogitabant. Haec auri fames et improbus amor habendi ita invalescebant, ut quisque ad se, quantum posset, trahere ac rapere studeret. Duae ex-

(1) Florus Lib. II. cap. 7.
(2) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 1.

sistebant factiones, a quibus respublica, tamquam vacua possessio esset, dilacerabatur. Harum altera constabat e nobilitate, penes quam erant aerarium, provinciae, magistratus ac praedae bellicae, quas imperatores cum paucis intervertebant; altera constabat ex multitudine, quae militiâ premebatur, inopiâ laborabat, et id inprimis quaerebat, ut agrorum divisione sibi prospiceret, et sic in partem praedae veniret. Utraque suos habebat patronos et propugnatores, qui illud partium studium alerent, et tali modo rempublicam pessum darent.

Unus e praecipuis istius publicae calamitatis auctoribus *Tiberius Gracchus* erat. Hic ob foedus cum Numantinis factum a Mancino, cujus quaestor fuerat (1), aut re verâ a patribus ignominiâ affectus, aut certe illam metuens, partes senatûs deserebat, et ad plebem transibat. Mox tribunus plebis factus, nihil non tentabat, quo capitale odium suum in patres manifestaret. Legibus agrariis et aliis in plebem conferendis beneficiis discordiae facem vehementius incendens, et summa imis miscens, rempublicam in praeceps periculum adducebat (2).

(1) Liv. Epit. Lib. LV, Plutarch. in Tib. Graccho p. 826. A. B. C.

(2) Liv. Epit. Lib. LVIII., Plut. in Tib. Graccho. p. 827. C, Florus Lib. III. cap. 14.

Cujus furori quum se opponeret *P. Scipio Nasica*, consobrinus *Gracchi*, adhortans populum, *ut se sequerentur, qui salvam vellent rempublicam;* impetus fiebat in Gracchum *ab optimatibus, senatu, equestris ordinis parte meliore et majore, et intactâ perniciosis consiliis plebe*, isque fugiens, in isto tumultu *vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immaturâ* nec gloriosâ *morte* amittebat (1).

Quamvis vero *Gracchus* ante obiisset, quam omnia illa, quae agitaret animo, perficere potuerat; tamen ejus inprimis culpâ accidebat, ut *discordiae civium, antea conditionibus sanari solitae, ferro dijudicarentur*, et *in urbe Româ civilis sanguis* effunderetur, *gladiorumque impunitatis initium* exoriretur (2).

Hunc decennio post sequebatur *Cajus Gracchus*, quem fratre *Tiberio* gravius etiam rempublicam vexasse, et longe majora appetiisse videmus. Hic enim non modo omnibus Italicis civitatem dabat (3), verum etiam legem *Liciniam* renovabat, quâ cautum erat, *ut ne civis plus quingentis jugeribus ha-*

(1) Liv. Epit. Lib. LVIII., Plut. in Tib. Graccho p. 830. C. D. et 833. C. D., Vell. Paterc. Lib. II. c. 3.

(2) Vell. Paterc. Lib. II. l. l.

(3) Plut. in C. Graccho p. 837. A., Vell. Paterc. Lib. II. cap. 6.

beret (1). Praeterea senatui adimebat judicia, quae ad equites transferebat (2), nec quidquam *immotum, tranquillum et quietum denique in eodem statu relinquebat* (3).

Graccho adversabatur *M. Livius Drusus* pater, *Gracchi* in tribunatu collega, quovis modo senatum defendens, et *Gracchi* conamina ad plebem contra nobiles irritandam impedire studens (4), ita ut *Cicero* (5) dicat, *ipsum vulnera sanasse, quae a Graccho reipublicae illata essent.* At vel sic tamen res tandem eo deveniebat, ut *Lucius Opimius* consul, populo ad arma convocato, *Gracchum* ex senatus-consulto persequeretur. Quem vivum cepisset, nisi hic servo suo cervicem praebuisset, qui dominum unâ secum interemit (6).

Quum autem hoc tumultu ingens hominum multitudo unâ cum *Graccho* interiisset, et civium animi, qui tamdiu jam mutuis discordiis a se invicem aba-

(1) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 6., Liv. Epit. Lib. LX., Plut. in C. Graccho pag. 837. A.

(2) Plut. in C. Graccho pag. 837. B. C., Vell. Paterc. Lib. II. cap. 6.

(3) Vell. Paterc. Lib. II. c. 6, Conf. quoque Liv. Epit. Lib. LX.

(4) Plut. in C. Graccho pag. 838. C. sq.

(5) Cicero de Finib. Lib. IV. cap. 24.

(6) Liv. Epit. Lib. LXI, Plut. in C. Graccho p. 842. C. D., Vell. Paterc. Lib. II. c. 6.

lienati fuerant, post tot perpetratas caedes magis etiam exacerbati essent; utraque factio, non nisi vindictam spirans, id inprimis agere coepit, ut sibi invicem, quantum posset, noceret, suasque vires adhiberet ad inimicos e medio tollendos (1). Historia nobis multa hujus mali publici exempla praebet, e quibus tamen non nisi duo referam.

Primum, quod ad nobilitatem spectat, hanc jam statim victoriâ suâ abusam fuisse videmus, modo animum advertamus ad severitatem, ne dicam crudelitatem, quâ *Lucius Opimius* consul decretam a senatu quaestionem de Gracchanis exercuit. Multos ferro necavit, alios patriâ pulsos in exsilium conjecit. Quid porro de isto scelere dicam, quo idem hic magistratus innocentem et delictorum paternorum immunem filium *Fulvii Flacci*, inimici sui, interemit? Haec vindicta magis privato odio, quam publicae causae data est (2).

Deinde haud minori vehementiâ plebeji etiam suos inimicos, datâ occasione, persecuti sunt. Exemplo sit *C. Mamilius Limetanus*, tribunus plebis.

Quum nimirum tempore belli Jugurthini haud pauci

---

(1) Plut. in C. Graccho pag. 842. F.

(2) Plut. in C. Graccho pag. 843. A., Vell Paterc. Lib. II. cap. 7.

nobiles in Africam contra Jugurtham missi, ab hoc rege pecuniâ corrupti essent, atque causam reipublicae deseruissent: e re oppressae plebis esse statuebat *Mamilius* rogationem ad populum promulgare, *ut quaereretur in eos, quorum consilio Jugurtha senatûs decreta neglexisset, quique, ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent; quique perfugas tradidissent, item, qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent* (1). Quam rogationem plebs maximâ vi jussit et decrevit, idque *magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam curâ reipublicae* (2).

Eâ autem perlatâ, tres quaesitores creati, et causâ cognitâ a Gracchanis judicibus, permulti sublati sunt, inter quos erant quatuor consulares, *Lucius Bestia, Cajus Cato, Spurius Albinus* et *Lucius Opimius*, iste *Caji Gracchi* et multorum Gracchanorum interfector, quem Vellejus Paterculus (3) dixit, *damnatum postea judicio publico, memoriâ ipsius saevitiae, nullam civilem persecutam esse misericordiam.*

Quum igitur haec partium studia, uti breviter vidimus, tantâ acerbitate utrimque exercerentur,

---

(1) Sallust. Bell. Jugurth. cap. 40.

(2) Sallust. Bell. Jugurth. cap. laud.

(3) Vell. Paterc. Lib. II. c. 1., conf. quoque Cic. in Bruto cap. 34.

ut alteri alteros non tantum quovis modo vincere, sed victos etiam interficere vellent, atque Romanorum socii, ob promissam saepe, sed nondum acceptam civitatem haud bene animati, sese discordiis civilibus immiscerent. Quae publica calamitas sensim latius serpere coepit, neque se amplius intra Urbis pomoeria continuit, sed mox tamquam morbus contagiosus totam Italiam pervasit.

Interfecto enim *M. Livio Druso*, tribuno plebis, A. U. C. 662, qui, variis legibus latis, concordiam inter factiones restituere studuerat, exarsit tandem bellum *Sociale*, summâ atrocitate gestum, cujusque hic exitus fuit, ut Socii compotes voti sui fierent. Et erat eorum causa sane justissima (1). Petierant enim Socii jus illius civitatis, quam *per omnes annos, atque omnia bella, duplici militum et equitum numero* tuiti fuerant: quaeque civitas *per eos in id ipsum fastigium* pervenerat, in quo jam positi Romani *homines ejusdem et gentis et sanguinis ut externos alienosque* contemnebant (2).

Finito *Sociali* bello, Romani aliud gerere coacti sunt contra *Mithridatem*, Ponti Regem, ejusque administratio praecipua causa fuit, ut ex invidiâ

(1) Florus Lib. III. cap. 18, Oros. Lib. V. cap. 18.
(2) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 15.

Marii in Syllam exoriretur odium, ex odio autem exardesceret bellum *civile* (1). Diu jam iniquis oculis adspexerat *Marius* gloriam Syllae in dies crescentem. Causa primaria hujus invidiae repetenda est ab eo temporis momento, quo Bocchus Jugurtham L. Cornelio Syllae, qui tum quaestor *Marii* erat (2), vivum tradidit. Quum enim id ita evenisset, et *Marius* de Jugurthâ triumphasset, Sylla Jugurthae sibi a Boccho traditi laudem honori ducere et celebrare inprimis coepit, quin etiam id ipsum factum in gemmâ, quâ literas suas obsignare solebat, scalpi curavit, ut tradit *Plinius* (3).

Quae Syllae arrogantia adeo *Marium* urebat et inflammabat, ut inde aperta discordia inter utrosque et implacabile odium repeti debeat, quemadmodum e *Plutarcho* cognosci potest (4). Vix enim L. Cornelio Syllae imperium belli *Mithridatici* mandatum erat, cujus cupidissimus fuerat *Marius*, quum hic novas res Romae moliretur, atque crescenti Syllae laudi vehementissime invidens, per se-

---

(1) Plut. in Mario pag. 410. F.

(2) Plut. in Mario pag. 410. E. F, in Sylla pag. 452. D.

(3) Plin. H. N. Lib. XXXVII. cap. 1, conf. praeterea Liv. Epit. Lib. LXVI, Plut. in Mario p. 411. A, in Sylla pag. 452. E, Val. Max. L. VIII. cap. 14. 4.

(4) Plut. in Mario pag. 410. F, in Sylla p. 452. E.

ditiosum tribunum plebis Publium Sulpicium legem ferri curaret, quâ Syllae imperium istius belli adimeretur (1). Quâ lege perlatâ, bellum *civile* exardescere coepit. Statim enim Sylla, sibi illatam injuriam aequo animo neutiquam ferens, e Campaniâ, ubi cum exercitu erat ad conficiendas reliquias belli *Socialis*, Romam rediit, in foro cum *Mario* conflixit, idque eo successu rerum, ut ipsius inimici disturbarentur. Sulpicius enim, cum in quâdam villâ lateret, indicio servi sui retractus et occisus est (2). *Marii*, pater et filius, aufugere coacti sunt. Pater et filius diversis a se invicem itineribus in Africam tendebant, et parum aberat, quin ille ab equitibus Syllanis caperetur. In palude Maricae prope Minturnas latens, inde extractus et ad Duumviros adductus est, ut mortis supplicium subiret, sed miles, qui eum necare debebat, voce et vultu deterritus, non ausus est. Hinc navi impositus, salvus quidem in Africam pervenit, verum ibi non diu moratus est (3).

Compositâ hâc turbâ ac seditione, Sylla ad bel-

(1) Liv. Epit. Lib. LXXVII, Plut. in Mario p. 424. E, in Sylla p. 456. D, Vell. Paterc. Lib. II. c. 18.

(2) Liv. Epit. Lib. LXXVII, Cic. Or in Catil. III. c. 10, Plut. in Sylla p. 457. E, Vell. Paterc Lib. II. c. 19.

(3) Liv. Epit. Lib. LXXVII, Cic. Or. pro P. Sextio c. 22, post Red. ad Quir. c. 8, Plut. in Mario a. pag. 427. C, ad pag. 429 D, Vell. Paterc. Lib. II. c. 19.

lum Mithridaticum profectus est. At, eo absente, nova recruduit Romae seditio, auctore L. Cornelio Cinnâ consule. Hic enim quum collegam haberet Cn. Octavium, lenissimi ingenii virum, immemor eorum, quae Syllae pollicitus erat (1), novas denuo turbas excitare coepit, sed ab Octavio consulatu privatus, atque ex Urbe expulsus est. Hinc idem iste Cinna Italiae populos ad arma excitavit, *C. Marium* et reliquos exsules ad se arcessivit ex Africâ, atque unâ cum *Mario* Romam vi armorum intravit.

Quantâ tunc vero crudelitate bini hi viri in Urbe grassati sint, quum se ipsos, spretis populi comitiis, consules creassent, cum aliunde novimus, tum ex *Lucano* (2), cujus haec sunt de hac re verba:

» *Quis fuit ille dies*, Marius *quo moenia victor*
» *Corripuit? quantoquè gradu mors saeva cucurrit?*
» *Nobilitas cum plebe perit: lateque vagatur*
» *Ensis: et a nullo revocatum est pectore ferrum.*
» *Stat cruor in templis: multaque rubentia caede*
» *Lubrica saxa madent.*"

Quamvis vero *Marius* ob insatiabilem vindictae

(1) Liv. Epit. Lib. LXXIX, Plut. in Sylla p. 458. A, Vell. Pat. Lib. II. cap. 20.

(2) Conf. Lucani Pharsal. Lib. II. vs. 99 sq. Vid. praeterea Liv. Epit. Lib. LXXX, Plut. in Mario a. pag. 431. A. ad pag. 432. C, Florus Lib. III. c. 21.

cupiditatem nondum caede tot civium satiatus esset, tamen ob corporis imbecillitatem ulterius progredi non potuit. Quum enim vinolentiae se dedidisset, in morbum incidit, et in septimo consulatu suo diem supremum obiit (1).

Atque hic fuit exitus illius viri, qui optime quidem de Republicâ meruit, sed postremis vitae suae annis famam crudelissimis facinoribus commaculavit, ita ut verissime de eo *Livius* (2) dixerit:

„*Si examinentur* C. MARII *cum virtutibus vitia*, „*haud facile sit dictu*, *utrum bello melior*, *an* „*pace perniciosior fuerit: adeo, quam rempublicam* „*armatus servavit*, *eam primo togatus omni ge-* „*nere fraudis*, *postremo armis hostiliter evertit.*"

Mortuo *C. Mario* patre, Syllae cum filio ejus, *C. Mario*, negotium fuit.

(1) Plut. in Mario p. 432. D. E. F.
(2) Liv. Epit. Lib. LXXX.

CAPUT SECUNDUM.

DE C. MARIO C. MARII FILIO.

§ 1.

De Historicis.

Quaecunque de *C. Mario* filio novimus, illa nobis a scriptoribus quibusdam, cum *Latinis*, tum *Graecis* tradita sunt.

Latini sunt:

Titus Livius in Epitomis Librorum LXXXVI, LXXXVII et LXXXVIII.

C. Vellejus Paterculus in Historiarum Libro II cap. 26 et 27.

Valerius Maximus Libro VII, cap. 6, 4, et Lib. VI. cap. 8, 2.

L. Annaeus Florus in Lib. III cap. 21.

Eutropius in Brev. Hist. Rom. Libro V.

S. Aurelius Victor de Viris Illustrib. cap. LXVIII.

P. Orosius. In Hist. Rom. Lib. V. cap. 20 et 21.

Scriptores *Graeci*, a quibus *C. Marii* filii res enarrantur, hi sunt.

Plutarchus, qui de *Mario* agit in vitis *C. Marii* patris et L. Cornelii Syllae.

Appianus Alexandrinus, qui de eo refert in Historiâ Belli civilis. Libro I.

Jam autem, ubi animum diligenter advertimus ad ea, quae in utriusque sermonis scriptoribus leguntur, in his tria mihi esse annotanda videntur. Ad primum genus pertinent ea, quae a singulis singulatim referuntur, quorumque nulla apud reliquos memoria exstat. Alterius generis illa sunt, in quibus inter se consentiunt. Et ad tertium denique genus refero ea, de quibus inter se invicem dissentiunt.

Quod ad duo priora genera spectat, de iis non habeo, quae dicam. Sunt enim haec ejusmodi, ut vix dubitari queat, quin vera sint. At vero ubi scriptores dissentiunt, ratio postulat, ut inquiramus, cujus sententia reliquis probabilior videatur. Hic autem dissensus tribus in locis praecipue apparet.

Primum non omnes unam eandemque sententiam amplectuntur de *C. Marii* origine. Alii eum *C. Marii* patris filium *naturalem* fuisse affirmant, alii contra ea contendunt, ipsum non nisi filium *adoptivum* fuisse.

Deinde dissentiunt de anno aetatis, quo *C. Marius* consulatum invaserit, siquidem in illo definiendo sex vel septem annorum discrimen in Veterum scriptis reperitur.

Tertio denique loco dissentiunt Veteres in describendo vitae ejus exitu. Alii enim dicunt, *Marium* se ipsum interfecisse, alii vero eum ab aliis interemtum narrant.

Quae omnia quum in ipsâ vitae enarratione uberius explicabo, non opus videtur, ut de iis nunc copiosius agam. Quare haec dicta sufficiant.

§ 2.

De C. Marii genere.

Vitarum scriptores, quos vocabulo Graecis inusitato *Biographos* vulgo vocamus, scriptionis suae initium ab eo capere plerumque solent, ut referant, quosnam ille, de quo acturi sunt, parentes habuerit, quo tempore et quo loco natus sit.

Quod ad hujus *C. Marii* parentes attinet, hi *C. Marius* septies consul et *Julia*, amita C. Julii Caesaris, fuerunt. Probe quidem scio, *Pighium* (1) *Sigo-*

(1) Pighii Annal. ad. A. U. C. 671.

nium (1) *Freinshemium* (2) et alios aliter sensisse, sed illos viros doctos hâc in re humani quid passos esse, probari posse credo *Pighius* (3) v. c. scribit: *C. Marius consul filius C. Marii triumphalis et septies Consulis adoptione fuit, ut Plutarchus, Livius, Vellejus, et alii consentiunt.* — Verum neque *Livius*, neque *Vellejus Paterculus*, neque alius scriptor Latinus hunc *C. Marium* unquam *filium adoptivum* vocavit, sed simpliciter semper tantummodo *filium* vocant. Et quod ad *Plutarchum*, hic *Pighianis* plane contraria nos docet. Primum enim dicit (4), *C. Marium* patrem matrimonium iniisse cum amitâ Caesaris *Juliâ*; et deinde alio loco (5) diserte affirmat, *Mario* ex hâc *Juliâ* natum fuisse *filium*, consobrinum C. Julii Caesaris. En ipsa *Plutarchi* verba: Ἰουλίᾳ γὰρ, πατρὸς ἀδελφῇ Καίσαρος, ὁ πρεσβύτερος συνῴκει Μάριος, ἐξ ἧς ἐγεγόνει Μάριος ὁ νεώτερος, ἀνεψιὸς ὢν Καίσαρος. id est: *Juliam enim, Caesaris amitam, Marius major in matrimonio habuit, ex quâ Marius junior natus est, Caesaris consobrinus.* Jam igitur scire velim, an certius testimonium, quam

(1) Sigon. in Fast. Rom. p. 457. D. C.
(2) Freinsh. ad Liv. Epit. L. LXXXVI.
(3) Pighii Annal. ad A. U. C. 671.
(4) Plut. in vitâ Marii p. 408. E.
(5) Plut. in vitâ Caesaris p. 707. E.

hocce *Plutarchi* est, excogitari queat (1)? Nonne illud nos diserte docet, *C. Marium* filium *naturalem C. Marii* septies consulis fuisse? Verum dixerit fortasse non nemo: Quid? Nonne *Appianus* testatur hunc *C. Marium* clari *Marii* filium *adoptivum* fuisse? Fac ipsum hoc dixisse, quod tamen fecisse nego, num propterea hujus scriptoris verba majoris aestimanda essent, quam certissimum *Plutarchi* testimonium et scriptorum Latinorum hâc de re altum silentium? Sed si rem accuratius consideramus, *Appianum* a reliquis scriptoribus minime dissentire videbimus, nec de *adoptivo* filio usquam locutum esse.

Primum enim, ubi (2) de illis duodecim viris loquitur, quos Sylla hostes patriae declaravit, inter illos recte refert *C. Marium* juniorem, eumque diserte *Μάριον, τὸν ἑξάκις ὑπατευκότος παῖδα* vocat. Deinde alio loco (3), ubi ad *C. Marium* patrem, in finibus Numidarum hiemantem, necessarios venisse narrat, inter illos *καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Μαρίου* nominatim refert. Nonne ex his satis certo constat, *Appianum* minime dubitasse, quin *C. Marius* junior

---

(1) Ad *Plutarchi* testimonium jungi potest aliud *Diod. Siculi* Tom. II. p. 541. Ed Wessel., ubi dicitur *Κάϊος Μάριος, νέως ὤν, ὁ Μαρίου τοῦ πολλάκις ὑπατευκότος παῖς.*

(2) Appian. Alex. Bell. Civ. L. I. c. 60.

(3) Appian. Alex. Bell. Civ. L. c. c. 62.

fuerit *naturalis C. Marii* triumphalis filius? At vero *Appianus* ignoravit, quis ille M. Marius Gratidianus fuerit, quem alio loco (1) *ἕτερον Μάριον*, alio (2) autem *τὸν ἀδελφιδοῦν Μαρίου τοῦ περιφανοῦς* nominare videtur, et a nobis, ubi de hoc Gratidiano agemus, fusius indicabitur. Interim tamen conferri omnino merentur, quae de hoc argumento *Perizonius* (3) copiose exposuit.

Jam autem quaeritur, quo tempore *C. Marius* hoc matrimonium inierit. De eo nihil apud veteres invenimus: verum, si ad verba *Plutarchi* (4) animadvertimus, admodum verisimile videtur, *C. Marium* non prius uxorem duxisse, quam primo consulatu. Erat homo novus, qui neque divitiis instructus, neque eloquentiâ munitus esset, quibus illius temporis principes populum in suas partes trahebant. Debebat igitur virtute bellicâ aditum ad honores et opes aperire, et populi favorem bene merendo de republicâ sibi conciliare. Hunc vero favorem demum adeptus est bello Iugurthino. Nam quum illius assidui labores et vita popularis effecissent, ut gratiâ campestri valeret, plebs honoribus mandandis

(1) Appian. Alex. Bell. Civ. L. c. c. 65.
(2) Appian. Alex. Bell. Civ. L. c. c. 87.
(3) Perizon. Animadv. Hist. Cap. III a pag. 98.-103.
(4) Plut. in Mario p. 408 E.

produxit eum ad consulatum. Atque hic plebis favor ad nuptias splendidas cum *Juliâ* conciliandas eum excitavit, ut *Plutarchus* (1) his verbis testatur: *Ἐν δὲ τῇ πολιτείᾳ γενόμενος, οὐκ εἶχεν οὐδὲ πλοῦτον, οὐδὲ λόγον, οἷς ἦγον οἱ τότε μάλιστα τιμώμενοι τὸν δῆμον· αὐτὴν δὲ τὴν ἀνάτασιν τοῦ φρονήματος καὶ τὸ περὶ τοὺς πόνους ἐνδελεχὲς αὐτοῦ, καὶ τὸ δημοτικὸν τῆς διαίτης, ἔν τινι σπουδῇ τιθεμένων τῶν πολιτῶν, ηὔξανετο τῇ τιμῇ πρὸς δύναμιν· ὥστε καὶ γάμον γῆμαι λαμπρὸν, οἰκίας ἐπιφανοῦς τῆς Καισάρων, Ἰουλίαν, ἧς ἦν ἀδελφιδοῦς Καῖσαρ, ὁ χρόνοις ὕστερον Ῥωμαίων μέγιστος γενόμενος.* id est. *Ad negotia urbana reversus, neque divitiis, neque eloquentiâ, quibus illius temporis principes trahebant populum, est subnixus. Caeterum quia minaces ejus spiritus, indefessi labores, vita popularis, grati ad plebem erant, honoribus provectus est ad opes, ut splendidas nuptias conciliaret, atque ex nobili Caesarum domo Juliam duceret uxorem, amitam Caesaris, qui Romanorum post potentissimus fuit.* Atque quum ex vitâ *C. Marii* constet, ipsum primum consulatum gessisse A. U. C. 646, admodum verisimile mihi videtur, ipsum hoc tempore matrimonium cum *Juliâ* iniisse. Nam, quominus cre-

(1) Plut. in Mario l. l.

dam, ipsum prius jam duxisse *Juliam* uxorem, faciunt ea, quae de ratione novimus, (ne quid de duplici repulsâ dicam, quam tulit, quum primum aedilitatem curulem et deinde aedilitatem plebis eodem die peteret) quâ praeturam obtinuit, et quae legimus apud Ciceronem (1): *C. Marius cum a spe consulatûs longe abesset*, *et jam septimum annum post praeturam* jaceret, *neque petiturus umquam consulatum videretur: — factus est Consul.* Nam quamdiu *Marius jacebat* i. e. negligebatur, ejusque nulla magnopere ratio habebatur, non censeri potest plebis gratiâ floruisse.

Quales vero erant hi *Marii* parentes? Mater *Julia* erat matrona nobilissima, quam C. Julius Caesar defunctam *laudavit.* Atque in illâ laudatione, uti refert *Suetonius* (2), de ejus ac patris sui utrâque origine sic refert: *Amitae meae Juliae maternum genus ab regibus ortum*, *paternum cum Diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges*, *quo nomine fuit mater: a Venere Julii*, *cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum*, *qui plurimum inter homines pollent*, *et cerimonia Deorum*, *quorum ipsi in potestate sunt reges.*

(1) Cicero de Offic. Lib. III Cap. 20.
(2) Sueton. in Caesare Cap. 6.

Pater vero fuit, ut *Vellejus Paterculus* (1) dicit natus *equestri loco:* at vero secundum omnes reliquos Scriptores *obscuro loco.* Minime igitur dubitandum est, quin in verbis *Velleji* vitium insit, praesertim quum idem scriptor alio loco (2) *Marium ignotae originis* hominem appellet. Hinc pro voce *equestri* alii interpretes aliam ponere voluerunt (3). Patriam vero habuit Arpinum, Volscorum oppidum, unde ipse, ut et Cicero, *Arpinates* vocantur. Fuit ceterum homo novus, quem ut *Seneca* (4) ait, *caliga dimisit*, id est, qui desiit esse miles gregarius, atque virtute bellicâ ex infimo ordine ad summos in republicâ honores pervenit. Praeterea de hoc ipso patre *Mario* haec cecinit *Juvenalis* (5).

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro,

---

(1) Vel. Paterc. Lib. II Cap. 11.

(2) Vell. Paterc. Lib. II. Cap. 128.

(3) Boeclerus legere voluit, *natus agresti loco:* Heinsius *rurestri*, quod *Marius* ruri mercenarius fuerit: Pighius in Annal. ad A. U. C. 629 putat legendum esse *silvestri loco:* Wassius *quaestuario loco* i. e. ex officinâ ferrariâ. Denique dicit Ruhnkenius, *sed, quid Vellejus scripserit, nemo unus divinare potuit.* Lege *natus extremo loco.* Scribere etiam Vellejus potuit *natus ignobili loco:* quod, si literarum ductus spectemus, proprius ad *equestri* accedit.

(4) Seneca de Brevit. vitae c. 17.

(5) Juvenal. Satyr. VIII. vs. 245 sq.

Nodosam post haec frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.
Hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum
Excipit, et solus trepidantem protegit urbem.
Atque ideo postquam ad Cimbros stragemque volabant,
Qui nunquam attigerant majora cadavera corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secundâ.

Deinde, quod ad annum spectat, quo *Marius* natus est, de eo item nemo Veterum scriptorum quidquam certi memoriae prodidit. Interim tamen ex *Fastis* Romanorum abunde constat, *C. Marium* filium consulem fuisse A. U. C. 671. Dolendum modo est, Veteres scriptores adeo dissentire in constituendo anno *Marii* natali. *Appianus* (1) dicit, eum anno aetatis vicesimo septimo consulatum invasisse. *Vellejus Paterculus* (2) refert hoc factum fuisse anno aetatis vicesimo sexto. Harum sententiarum neutram probare possum, si quidem secundum utramque natalis annus *Marii* incideret in A. U. C. vel 644 vel 645, quo tempore pater adhuc *jacebat*, populi favore consul nondum creatus, nec conjugem duxisse mihi videtur, uti antea ex *Plutarchi* auctoritate ostendi. Itaque mihi verisimilius videtur, quod narrat *Aurelius Victor* (3), eum aetatis anno vice-

(1) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c 87.
(2) Vel. Paterc. Lib. II Cap. 26.
(3) Aurel. Vict. de Vir. Illustrib. Cap. LXVIII. Sequor lectionem Editionis c. n. Var. Lugd. Bat. et Amstel. 1670. 8°.

simo quinto consulem fuisse. Secundum hanc enim computationem annus natalis ejus incidit in finem A. U. C. 646 vel in initium subsequentis. Minime enim mihi placet, quod apud Epitomatorem *Livii* (1) legimus, Marium *ante annos viginti* consulem creatum fuisse. Hujus autem judicii mei rationes eo loco exhibebo, ubi de *C. Marii* matrimonio agam.

Denique si quaerimus ubi natus sit, fatendum est, loci nusquam mentionem fieri apud Veteres. Videtur autem Romae natus fuisse. Matrem enim habuit Romanam, quae maritum bellis gerendis fere semper occupatum, ideoque modo hîc, modo illic degentem, minime semper secuta esse videtur. Temporibus enim Regum et liberae Reipublicae cum castrensi disciplinâ minime conveniebat, ut uxores comitarentur viros in bella proficiscentes, si quidem nemini nisi solis militibus pernoctare in castris licebat, nec verisimile est, illas honestissimas feminas extra vallum et castra noctem inter lixas et alios hujus generis homines transigere voluisse. Imo multis exemplis probari potest, moris fuisse, ut conjuges, quum mariti Urbem aut belli gerendi, aut provinciarum administrandarum causâ relinquerent, domi manerent, nec unâ cum viris ex Urbe abirent.

---

(1) Liv. Epit. Lib. LXXXVI.

Primum exemplum habemus in *Lucretiâ*, L. Tarquinii Collatini conjuge, quae domi manserat, marito ad Ardeam militante, ibique in stativis commorante (1). Tum habemus exemplum in *Porciâ*, M. Catonis filiâ, quae cum maritum Brutum apud Philippos victum et interemtum cognovisset, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones hausisse perhibetur (2). Alia exempla habemus apud *Ciceronem*, e quibus haec retulisse sufficiat: *Postumiae* Ser. Sulpicii, Proconsulis in Achajâ, conjugis: de quâ Cicero (3): *sed postquam literas tuas legi, Postumia tua me convenit, et Servius noster. His placuit, ut tu in Cumanum venires.* Tum *Claudiae*, cujus maritus Q. Metellus Galliam pro Consule regebat: dicit enim Cicero (4): *Egi cum Claudiâ, uxore tuâ, et cum vestrâ sorore Muciâ.* Porro de uxore M. Licinii Crassi, in Syriam profecti, ita scribit Cicero (5): *Itaque et praestantissima omnium feminarum, uxor tua, et eximiâ pietate, virtute, gratiâ, tui Crassi, meis consiliis, monitis, studiis actionibusque nituntur.* Item

(1) Livii Lib. I. c 57 et 58.
(2) Val. Max. Lib. IV c. 6. 5.
(3) Cic. Epist. ad Divers. Lib. IV. Epist. 2.
(4) Cic. Epist. ad Divers. Lib. V. Epist. 2.
(5) Cic. Epist. ad Divers. Lib. I. Epist. 8.

de *Pompejâ* conjuge P. Vatinii, qui ex consulatu rector Illyrici a Caesare Dictatore constitutus erat, haec apud eundem (1) legimus: *Quod mihi feminam primariam, Pompejam, uxorem tuam, commendas: cum Surâ nostro statim tuis literis lectis locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut, quidquid opus esset, mihi denuntiaret: me omnia, quae ea vellet, summo studio curâque facturum: itaque faciam, eamque, si opus esse videbitur, ipse conveniam.* Deinde quoque *Pollam*, Dec. Bruti uxorem, marito absente, Romae fuisse, apparet ex his verbis Ciceronis (2): *Eo tempore Polla tua misit, ut ad te, si quid vellem, darem literarum.* Denique *Terentiam*, Ciceronis conjugem, marito in Ciliciâ bellum gerente, Romae mansisse satis notum est (3).

Sed temporibus Caesarum Romanos ab illâ priscâ consuetudine abiisse, cum aliunde constat, tum inprimis ex *Tacito* (4), ubi legimus: *Severus Caecina censuit, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur.* Quam sententiam ut Caecina senatui probaret, ita locutus esse fertur:

---

(1) Cic. Epist. ad Div. L. I. Epist. 11.
(2) Cic. Epist. ad Div. Lib. XI. Epist. 8.
(3) Cic. Epist. ad Div. Lib. XIV Epist. 5 et alibi.
(4) Tacit. Annal. L. III Cap. 33.

Haud enim frustra placitum olim, ne feminae in socios aut gentes externas traherentur. Inesse mulierum comitatui, quae pacem luxu, bellum formidine morentur, et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessûs convertant. Non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum; sed si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum. Incedere inter milites, habere ad manum centuriones: praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. Cogitarent ipsi, quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari his statim, adhaerescere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus coli, duo esse praetoria. Pervicacibus magis et impotentibus mulierum jussis, quae Oppiis quondam, aliisque legibus constrictae, nunc vinclis exsolutis, domos, fora, jam et exercitus regerent. Operae omnino pretium est legere, quae ad hunc locum animadvertit *Lipsius*, et *Longolius* et alii interpretes ad *Plinii* Epistolas (1), ubi docent, illis, qui iter suscipere vellent, data fuisse *diplomata* sive literas publicas, ut in oppidis,

(1) Conf. v. c. Plinii Epist. Lib. X. Epist. 31. (14), 59. (54) et 121, Editionis G. E. Gierigii.

per quae iter esset, magistratus operam darent, ut celeriter equos, et quae ad iter sunt necessaria, reperirent, uti loquitur *Ernestus* (1).

§ 3.

De C. Marii educatione et institutione.

Quid de *C. Marii* educatione et institutione dicam? Equidem nullam idoneam causam subesse video, cur parentes morem educandi et instituendi filii vulgarem haud secutos esse statuam. Quis vero erat ille mos? Audiamus hac de re scriptorem incertum Dialogi *De Causis corruptae Eloquentiae* (2): *Jam primum suus cuique filius ex castâ parente natus, non in cellâ emtae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus praecipua laus erat, tueri domum, et inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus, omnis cujuspiam familiae suboles committeretur, coram quâ neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia*

---

(1) Ernest. in Clav. Ciceron. voce *Diploma.*

(2) Dialog. De Causis corrupt. Eloquent. c 28.

modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum, sanctitate quadam ac verecundiā temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Attiam Augusti matrem praefuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura, toto statim pectore arriperet artes honestas: et sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. Itaque arbitror *C. Marium* primum sedulâ matris curâ educatum fuisse, et deinde in scholas ivisse ad Grammaticos et Rhetores. Nam patrem ejus non secutum fuisse exemplum Hamilcaris (1), qui filium suum Hannibalem, non amplius novem annos natum, secum in castra sumsisse perhibetur, ex eo colligo, quod, teste *Plutarcho* (2) causatus esse dicitur, quum belli Mithridatici imperium Syllae adimere vellet, se nimirum eam ob causam illius belli gerendi administrationem suscipere, *ut ipsemet praesens filium exerceret.* Quibus dictis abunde declaravit, se militiâ tractandâ

(1) Nepos in vita Hannib. Cap. 2.
(2) Plut. in Mario p. 425. B.

perpetuo occupatum minime secum habuisse filium suum. Praeterea magis etiam constat, *C. Marium* Romae in scholas ivisse, si animadvertimus ad verba *Nepotis* (1) ubi dicit, Tit. Pomponium Atticum in pueritiâ ob ingenii docilitatem inter aequales nobilem fuisse, clariusque exsplenduisse, quam generosi condiscipuli aequo animo ferre potuissent. Nam inter illos condiscipulos et aequales a *Nepote* nominatim referuntur L. Torquatus, *C. Marius filius*, M. Cicero, *quos consuetudine suâ* Atticus *sic sibi devinxisse* perhibetur, *ut nemo iis perpetuo carior fuerit.* An vero hic filius etiam Philosophos audierit, et in literarum humanitate magnos progressus fecerit, affirmare non audeo, praesertim quum animum adverto ad juvenilem aetatem ejus, quâ Urbem relinquere coactus est. Anno enim U. C. 665 (2) cum patre a Syllâ hostis judicatus, nondum ad illam aetatis maturitatem pervenerat, ut ex illis, quae didicisset, jam multum utilitatis percipere potuisset. Praeterea similiter atque parentis, qui nullam operam literis navaverat, sic etiam filii animus anili superstitione imbutus fuit. Videntes enim in littore Africae scorpiones inter se pugnantes, statim filius

(1) Nepos in vita Attic. cap. 1.
(2) Pighii Annal. ad h. a.

et pater isto certamine adeo perterriti fuisse dicuntur (1), ut quam primum navem conscenderent, atque ex isto loco aufugerent, quod illud spectaculum ipsis mali ominis praesagitio videbatur. Verumtamen hanc superstitionem nimis urgere nolo, siquidem notum est, fuisse inter Romanos a literarum studiis haud alienos viros, qui fidem haberent somniis, spectris, ominibus, prodigiis et aliis istiusmodi anilibus fabellis. Exemplo nobis sit Tib. Gracchus (2), qui, quum domi suae angues, mas et femina, deprehensi essent, *certior factus ab aruspice, mare dimisso, uxori ejus, feminâ, ipsi celerem obitum instare*, isti homini fidem habuisse commemoratur. Tum quoque ipsum Syllam somnio credidisse § 6 videbimus. Praeterea notus est ille malus Genius, qui M. Bruto apparuisse ad Philippos perhibetur (3). Denique ne plura exempla addam, satis sit legisse superstitionis plenam disputationem *Plinii Junioris* (4), de *spectris*, quorum veritatem quatuor exemplis affirmare conatur.

Interim tamen, ut ad *C. Marii* institutionem revertar, quae et qualis illa tandem fuerit, ipsius res

(1) Plut. in Mario pag. 429. C.
(2) Val. Max. Lib. IV. c. 6.' 1, Plut. in Tib. Graccho p. 824. C.
(3) Plut. in M. Bruto pag. 1000. F.
(4) Plinii Epist. Lib. VII. Epist. 27.

gestae certissimo nobis documento sunt, Literarum studia mores ejus non admodum emollivisse, nec ipsius animum ad humanitatem conformasse.

§ 4.

De C. Marii matrimonio.

C. Marium uxorem habuisse novimus ex *Plutarcho.* Quum enim unâ cum patre suo ex Urbe aufugisset, seque in villam Mucii contulisset, ut ab hoc peteret *τὰ ἐπιτήδεια*, *quae ad iter faciendum necessaria forent* (1); dicitur villicus Mucii appropinquantes equites e longinquo vidisse, quos Sylla undique ad hostes persequendos ex Urbe miserat, *Marium* juvenem plaustro imposuisse, sedulo occultasse, equites nil doli suspicantes decepisse, onus suum in Urbem invexisse, et sic *Marium πρὸς τὴν οἰκίαν τῆς γυναικός*, *ad domum uxoris transportasse* (2).

Jam vero quum non satis sit scire tantummodo *C. Marium* uxorem habuisse, sed operae etiam pretium sit non ignorare, quae illa fuerit, praesertim quum in scriptis Veterum nusquam ejus nominatim

(1) Plut. in Mario p. 425. F.
(2) Plut. in Mario p. 426. A.

mentio fiat: videamus ea, quae *Glandorpius* et *Orellius* de ipsâ nobis tradidere.

Glandorpius sibi non constat: alio enim loco uxorem Marii *Liciniam* (1), alio autem *Muciam* (2) appellat.

Orellius haec refert (3): *Lucius Crassus affinis C. Marii, quia hujus filius in matrimonium duxerat Muciam, Scaevolae Auguris filiam alteram, alteram Crassus.* Hujus dicti testem citat Orellius *Ciceronem* (4), sed illo loco nihil omnino de *Marii* matrimonio dicitur. Interim tamen vera sunt, quae *Orellius* de Crasso hujusque matrimonio refert. *Cicero* enim in *Bruto* (5): *Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo. Ergo illam patris elegantiâ tinctam vidimus: et filias ejus Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus: et neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem. Ego vero, ac lubenter quidem, inquit Brutus; et eo lubentius, quod L. Crassi erat filia.*

---

(1) Glandorpii Onom. Rom. p. 527 et 528.
(2) Glandorpii Oper. laud. p. 576.
(3) Orell. Onom. Tullian. p. 345.
(4) Cic. de Orat. L. I. cap. 15 § 66.
(5) Cic. in Bruto cap. 58.

Nonne ex his luce clarius est, nos ob fluctuantes horum duorum virorum opiniones in incerto manere? Illis igitur omissis, potius in consilium vocemus *Ciceronem.* Ex hoc (1) autem novimus C. Laelium sapientem duas habuisse filias, quarum altera natu minor C. Fannii, altera major Q. Mucii Scaevolae Auguris uxor fuit. Jam autem ex hoc conjugio Scaevolae cum Laeliâ, item duas prognatas fuisse filias, *Mucias* dictas, refert *Cicero* (2). Unam ex his duabus filiabus Scaevolam parentem dedisse uxorem L. Licinio Crasso, discimus item ex *Cicerone* (3), apud quem Scaevola Crassum *generum* suum appellat.

Porro Crassus quum matrimonium iniisset cum Muciâ, haec ipsi peperit duas filias *Licinias*, quarum altera diserte vocatur uxor Scipionis (4), hoc est illius Scipionis, cujus avus cognomen Serapionis habuerat. Altera vero nupsisse *C. Mario* filio videtur. Quodsi enim hoc non ita fuisset, non video quomodo ille *Pseudo-Marius*, qui se *Marii* Junioris filium esse dicebat (5), L. Licinium Crassum appellare potuisset *avum suum* (6). Minime enim credibile

---

(1) Cic. in Bruto cap. 26 § 101.
(2) Cic. in Bruto cap. 58.
(3) Cic. de Orat. Lib. I cap. 9.
(4) Cic. in Bruto l. l.
(5) Liv. Epit. Lib. CXVI, Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. III. c. 2.
(6) Cic. ad Attic. Epist. Lib. XII. Epist. 49.

est, istum *Pseudo-Marium* adeo stultum et ineptum fuisse, ut nomen ejus ignorasset, cujus se filium jactaret. Nam si conjux *C. Marii*, cujus filium se haberi volebat, Mucia fuisset, tunc Licinium Crassum nullo modo avum suum appellare potuisset, quippe quod tunc ipsius pater *Marius* et L. Licinius Crassus *leviri* fuissent. Neque etiam *Ciceronem*, qui Q. Mucio Scaevolâ Augure et L. Licinio Crasso tam familiariter usus fuerat, nescivisse credo, *Liciniam* Marii uxorem fuisse, si quidem ad Atticum de *Pseudo-Mario* scribens, his verbis utitur, *doleo L. Crassi nepotem* (1).

Undenam igitur *Glandorpio* et *Orellio* in mentem venerit scribere, *uxorem Marii fuisse Muciam*, non video, nisi fortasse respexerint ad verba *Plutarchi* (2), qui Q. Mucium Scaevolam Augurem *τὸν πενθερὸν socerum* Marii appellat, quum reapse hic socer soceri fuerit. Verum videtur *Plutarchus* illo loco hoc vocabulum *πενθερὸν* latiori sensu sumsisse. Mecum certe faciunt interpretes ad Epistolas *Ciceronis* ad Atticum (3), qui L. Licinium Crassum *Pseudo-Marii* avum maternum appellant. Quin

---

(1) Cic. in Oper. laud. Lib. XIV. Epist. 8.
(2) Plut. in Mario p. 425. F.
(3) Interp. ad Cic. Epist. ad Atticum Lib. XII Epist. 49.

etiam scriptores veteres, nisi ex industriâ de diversis gradibus cognationis et affinitatis agunt, subinde non satis accurate loquuntur. Rem exemplo ostendam. Atia, mater Augusti, erat filia Juliae, sororis Julii Caesaris. Itaque hic Caesar erat, secundum cognationis gradum, *avunculus magnus* Augusti, hoc est, frater aviae Augusti. Et vel sic tamen idem Julius Caesar modo Augusti *avunculus major*, id est proaviae frater (1), modo simpliciter *avunculus*, id est matris frater (2) appellatur.

Deinde restat, ut indagemus, quoto aetatis anno *Marius* nuptias suas cum Liciniâ contraxerit. Ex *Plutarcho* (3) quidem discimus, hoc jam factum fuisse, antequam cum patre hostis declaratus ex Urbe aufugisset, hoc est, ante A. U. C. 665 (4). At vero hoc nos parum juvat, quia ignoramus, quot annos *Marius* tunc natus esset. Si *Marius* intra vicesimum aetatis annum consulatum gessit, ut vult auctor Epitomes *Livii* (5), certo certius est, (quod nimirum fuga ejus ex Urbe sexto anno ante accidit, quam consulatum obtinuit), ipsum uxorem anno aetatis

(1) Sueton. in Augusto cap. 7.
(2) Sueton. in Augusto cap. 10.
(3) Plut. in Mario pag. 426. A.
(4) Pighii Annal. ad h. a.
(5) Liv. Epitom. Lib LXXXVI.

quarto et decimo jam duxisse. Hoc autem credere velle nimis absurdum foret. Temporibus enim liberae Reipublicae in Historiâ Romanâ nullum exemplum exstare opinor, unde appareat, quemquam ante depositam praetextam matrimonium iniisse. *Marii* quidem consobrino, C. Julio Caesari praetextato, desponsata erat Cossutia (1), sed aliud est *sponsam* (2), aliud *uxorem* habere. Mihi igitur videtur *Marius* anno aetatis decimo octavo, qui secundum meam computationem incidit in A. U. C. 664, vel initio anni 665, uxorem duxisse (3), prae-

---

(1) Sueton. in Caesare cap. 1.

(2) Hae enim jam in primâ infantiâ nonnumquam puerulis dabantur, uti constat ex eo, quod Augustus etiam sponsarum immaturitatem abolevisse dicitur. Sueton. in August. cap. 34.

(3) Cicero illo loco, ubi de filiabus Licinii Crassi loquitur, (in Bruto cap. 58) tantum dicit, alteram earum nupsisse Scipioni; et alio loco (de Orat. Lib. III cap. 1 et 2) ubi mortem L. Licinii Crassi, qui incidit in A. U. C. 663, commemorat, ejusque causam graviter exponit, in fine haec addit: *Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidiâ Senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum ejus caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in quâ ipse florentissimâ multum omnibus gloriâ praestitisset.* Nusquam vero Cicero disertam mentionem facit de alterius Liciniae matrimonio. Hinc conjicio, *C. Marium* demum post mortem Crassi ipsius natu minorem filiam uxorem duxisse. Verba enim

sertim quum mecum reputo, recte animadvertisse *Drakenborchium* (1), in puerum quatuordecim annorum cadere vix posse ea, quae ab ipso peracta fuisse legimus (2).

An autem ex hoc *Marii* et *Liciniae* matrimonio liberi provenerint, me ignorare fateor. Doctissimum virum, J. C. F. Wetzelium, video quidem in Commentario ad Ciceronis Brutum pag. 272 scripsisse: *minor Licinia erat conjux Marii Junioris et mater duorum filiorum, Caji et Marci Mariorum:* at undenam ille haec desumserit, nondum invenire potui.

§ 5

De C. Marii rebus gestis ante consulatum.

His dictis rerum ordo postulat, ut de *C. Marii* rebus gestis videamus.

---

illa Ciceronis, *non vidit luctum filiae, non exilium generi,* unice pertinent ad Scipionem, maritum Liciniae majoris, uti etiam interp. Ciceronis ad illum locum docent. Nam si, patre adhuc vivo, ipsius minor filia jam *Mario* nupta fuisset, non dubito, quin *Cicero* etiam illius conjugii aliquam mentionem fecisset.

(1) Vid. Annot. Drakenb. ad Liv. Epit. Lib. LXXXVI.

(2) Sic. v. c. tradit *Orosius* Lib. V. c. 18 tempore belli Socialis circa A. U. C. 664. L. Porcium Catonem consulem stre-

Admodum juvenis, ut jam vidimus, cum patre hostis judicatus ex Urbe effugit. Et quum ex villâ Mucii salvus atque incolumis ope et auxilio villici ad uxorem reversus esset, et ad iter suscipiendum maxime necessaria domi suae quam celerrime collegisset, intempestâ nocte Ostiam se contulit, (unde pater, imminente periculo perculsus, jam aufugerat), atque conscensâ nave in Africam aufugit (1).

Appulsus in Numidiam contulit se ad Hiempsalem (2) regem, qui juvenem *Marium* honorifice recipiebat, idque primum fortasse ob gratiam a *Mario* patre in bello Jugurthino sibi praestitam. Verum mox, quum aliquando apud eum commoratus esset, et iste rex, quoties *Marius* ipsum relinquere vellet, diversas morae causas necteret, suspicari coepit *Marius*, regem malâ fide agere, et se ab eo callide retineri in regno suo, ut, si id lucro ipsi foret, inimicis tradere eum posset, et sic gratiam

---

nue rem gessisse et gloriatum esse, *C. Marium non majora fecisse*, atque ob hoc dictum a filio *C. Marii* per invidiam in belli tumultu occisum esse.

(1) Liv. Epit. Lib. LXXVII, Plut. in Mario pag. 425 F. et 426. A.

(2) Interpres *Appiani Alexandrini* hunc regem *Mandrestalem* vocat, vid. pag. 388. Edit. c. annot. *Henr. Stephani*. in Fol. Anno 1592.

apud Syllanos iniret. Itaque cupide utebatur occasione, quae ipsi ad aufugiendum offerebatur a pellice quâdam regiâ, atque, spreto hospitalitatis jure, ad patrem clam abiit (1). In hâc autem fugâ *Marium* adolescentem, ab amico et aequali suo Tit. Pomponio Attico pecuniâ sublevatum fuisse legimus (2).

Quantam laetitiam pater et filius post tam longam separationem primo adspectu perceperint, intellectu non admodum difficile est. Quum vero se invicem amplexi essent, ambulantesque in littore, et de incerto statu rerum suarum sermocinantes, perterrebantur isto spectaculo pugnantium inter se scorpionum, cujus supra § 3 jam meminîmus. Atque hinc statim navem piscatoriam conscendebant, et ad insulam Cercinam veniebant (3). Sed quum pater se nusquam satis tutum crederet, totam hiemem in perpetuâ navigatione transigebat, et modo hîc, modo illic aliquamdiu morabatur, numquam tamen obliviscens illum nidum cum septem pullis, qui ipsi puero in gremium cecidissent, itemque haruspicis responsum

(1) Plut. in Mario p. 428 F. et p. 429 B. C., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 62.
(2) Nepos in T. Pompon. Attico cap. 2.
(3) Plut. in Mario. p. 429 C.

semper recordans *septies consulem ipsum fore*, eoque praesagio septimi consulatûs cum se ipsum, tum etiam filium et amicos suos consolabatur (1).

Interea novi tumultus in Urbe, auctore Cinnâ (2), exorti erant, et *Marius* a suis desiderabatur. Certior itaque factus rerum, quae Romae acciderant, statim in Italiam trajecit (3). Quid ab illo tempore *Marius* pater egerit, quomodo Urbem caedibus impleverit, quam plurima summae crudelitatis scelera perpetraverit, quâ ratione septimum consulatum vi invaserit, et initio istius septimi consulatûs, qui incidit in A. U. C. 667 diem supremum obierit, illa silentio praetereunda censeo, quod parum constat, quid interea temporis usque ad A. U. C. 671. filius fecerit, quamquam admodum credibile est, ipsum non otiosum fuisse, imo potius paternam factionem omnibus viribus adjuvisse. Ut hoc enim credamus, faciunt ea, quae de filio *Mario* legimus apud *Dionem Cassium* (4), modo vera sint, nec

---

(1) Plut. in Mario p. 426 C. D. E., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 62.

(2) Liv. Epit. L. LXXIX., Plut. in Mario p. 429 D., Vell. Paterc. Lib. II. c. 20, Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 64., Flor. Lib. III. c. 21. § 9 sq., Aur. Vict. de Vir. Illustrib. cap. LXIX.

(3) Plut. in Mario p. 429 D., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 67.

(4) Dio Cass. Fragm. Tom. I. p. 49, Edit. Reimar. ibique interpretes.

potius ipsi patri vitio verti debeant: Ὅτι θυόντων τῶν Ῥωμαίων ἱσταμένου τοῦ ἔτους τὰ εἰσιτήρια, καὶ τῇ ἡγεμονίᾳ τὰς ἀρχὰς κατὰ τὰ πάτρια ποιουμένων, ὁ υἱὸς Μαρίου δήμαρχόν τινα αὐθεντείᾳ ἀποκτείνας, τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ τοῖς ὑπάτοις ἔπεμψε, καὶ ἄλλον ἀπὸ τοῦ Καπιτωλίου κατεκρήμνισεν (ὅπερ οὐδεὶς ἄλλος ἐπεπόνθει) καὶ δύω στρατηγοὺς καὶ πυρὸς καὶ ὕδατος εἶρξεν. id est. *Calendis Januariis cum Romani sacra facerent, et magistratus more majorum auspicarentur*, C. Marius filius *Tribunum quemdam plebis suâmet manu interfecit, caputque ejus recisum Consulibus misit. Alium etiam de saxo Tarpejo dejecit, quod nemini ante contigerat: duobusque praetoribus aquâ et igni interdixit.*

§ 6.

De C. Mario Consule ejusque rebus gestis.

Marius pater jam quatuor annos mortuus erat, et per omne illud tempus bellum *Civile* inter Marianos et Syllanos grassabatur: tandem filius *Marius* ad rempublicam accessit, attamen ratione plane inusitatâ.

Solebant enim Romani rempublicam capessentes honores deinceps adipisci. Primum petebant Quaes-

turam circa annum aetatis 31: tum sequebatur Aedilitas anno aetatis 37: deinde Praetura anno 40 et denique consulatus anno 43. Non me fugit quidem nonnullos gratiâ campestri ante tempus legitimum his vel illis honoribus functos fuisse, sed quoniam *Cicero* (1) testatur, sibi singulos deinceps honores suo tempore mandatos esse, idcirco hanc annorum seriem secundum munera a Cicerone gesta sic exhibui.

Hanc viam plane neglexit *C. Marius*, qui, quum neque Quaesturam, neque Tribunatum, neque Aedilitatem, neque Praeturam gessisset, statim cum Cn. Papirio Carbone consulatum invasit, quum, ut mihi videtur, vix vicesimum quintum aetatis annum attigisset (2).

Jam vero quoniam filius *Marius* aeque crudelis et saevus (3) naturâ erat, atque pater fuerat, et hoc mortuo ipse princeps factionis suae fiebat, apparet Rempublicam Romanam minime liberatam fuisse a consule crudeli, qui omnia suo nutu peragi

---

(1) Cic de offic. Lib. II c. 17., de leg. Agrar. Or. II cap. 2.
(2) Liv. Epit. Lib. LXXXVI., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 87, Aurel. Vict. de Vir. Illustr. cap. LXVIII. — Cur ipsum illo anno aetatis consulem fuisse statuam, ejus rei rationes in antecedentibus reddidi § 2.
(3) Plut. in Mario p. 433 C., Vell. Paterc. Lib. II. c. 26.

vellet. Mater id probe intellexisse videtur, si verum est, quod *Aurelius Victor* (1) narrat, ipsam lacrymas fudisse, simulatque nuntium de consulatu filii accepisset.

Magna pars hujus anni a Consulibus inpendebatur ad apparatum bellicum, et quum ipsis nervus rerum, hoc est, pecunia, deesset, eo coëgerunt Senatum, ut aurea atque argentea templorum vasa et ornamenta undique colligerentur, atque ex illis numi cuderentur, ne militibus stipendia persolvi non possent (2). Omnes autem has opes *C. Marius* detulit Praeneste, uti refert *Plinius Major* (3), dicens »*Ergo ut maxime duo tantum millia pondo, cum capta est Roma anno 364, fuere*: — ita *in eâdem post annos 307, quod ex Capitolinae aedis incendio ceterisque omnibus delubris* C. Marius filius *Praeneste detulerat, tredecim millia pondo.*

Deinde simulatque ex Sardiniâ nuntius allatus erat, Q. Antonium Praetorem a legato Syllae L. Philippo pulsum et occisum, insulamque in potestatem Syl-

---

(1) Aurel. Victor. de Viris Illustr. cap. LXVIII.
(2) Val. Max. Lib. VII cap. 6. 4.
(3) Plinii Hist. Nat. Lib. XXXIII. cap. 1.

lae venisse: *C. Marius* Consul ad exercitum abiit, adeoque exacerbatus et irâ abreptus fuisse traditur, ut ad L. Damasippum Praetorem scripserit, *Syllanae factionis principes, quotquot Romae essent, quantocius trucidaret.* Accepto isto terribili mandato, convocavit Damasippus senatum, quasi cum eo consilia de Republicâ inire vellet, eâque occasione clarissimos viros crudeliter et perfide interfecit, C. Carbonem, virum praetorium, eundemque Cn. Carbonis consulis fratrem patruelem; P. Antistium, Cn. Pompeji socerum; L. Domitium et Q. Mucium Scaevolam pontificem maximum (1).

Interim Sylla, ducto in Volscos exercitu, Setiam oppidum cepit, in cujus propinquitate *C. Marius* castra sua posuerat. Quâ deditione auditâ, statim *Marius* cum quinque et octoginta cohortibus ad Sacriportum venit, Syllamque ad proelium committendum provocavit. Jam vero ex *Plutarcho* (2) novimus, Syllam, licet ipsius milites defatigati essent, et armis depositis quiescere cuperent, tamen

(1) Cic. de Orat. Lib. III. c. 3, in Brut. c. 90, Epist. ad Div. Lib. IX Ep. 21, Liv. Epit. Lib. LXXXVI, Vell. Paterc. Lib. II c. 26, Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 88, Val. Max. Lib. IX. c. 2. 3, Oros. Lib. V. c. 20.

(2) Plut. in Sylla p. 469 E. F. 470 A.

proelium a *Mario* oblatum non recusasse, praesertim quum somniasset, se vidisse *C. Marium* patrem, unâ cum filio colloquentem, et hunc admonentem, ne pugnam committeret, quod instans dies ei magnum allaturus esset malum. Ab utrâque parte summâ virium intentione dimicabatur, et victoria diu dubia manebat. At quum tandem sinistrum cornu exercitûs Mariani cederet, et quinque cohortes cum duabus alis signa projicerent et ad hostem transfugerent, reliquus exercitus *Marii* in fugam se convertit, et magna strages a persequentibus inter fugientes edita est. Reliquiae exercitûs Mariani Praeneste confugerunt, et quum ipse *Marius* eo item se contulisset atque portas jam clausas invenisset, quod Praenestini timuerant, ne cum Marianis copiis simul etiam Syllani milites Urbem invaderent, ipse in oppidum, fune e moenibus demisso, receptus est (1).

Nonnulli quidem Scriptores tradiderunt, *C. Marium* praelio non interfuisse, sed quum signum pugnae datum esset, vigiliis laboribusque confectum quievisse, atque vix, exercitu jam fugiente, ex alto somno excitari potuisse: verum hoc mihi minime

(1) Liv. Epit. Lib. LXXXVII., Plut. in Sylla p. 470 B., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 87., Flor. Lib. III cap. 21.

verisimile videtur, si quidem *Marius* nimio pugnandi ardore flagraret (1). Quanto autem furore prope Praeneste pugnatum sit, ex eo abunde intelligitur, quod viginti millia hostium a Syllanis interfecta, octo millia capta, et omnes Samnites, quotquot in manus Syllanorum militum pervenerant, tanquam aeterni nominis Romani hostes occisi fuisse dicuntur (2).

Quum vero Praeneste esset oppidum *naturâ munitum* (3), necessarium esse ducebat Sylla, *Marium*

(1) Plut. in Sylla p. 470. B. C., Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. LXVIII.

(2) Plut. in Sylla p. 470 C., Appian. Alex. B. C. Lib. I. c. 87.

(3) Classicus locus de hoc oppido est apud Strabonem Lib. V. p. m. 238 sq. D. ubi legimus: *ἄκρον γὰρ ἔχει τῆς μὲν πόλεως ὕπερθεν ὄρος ὑψηλὸν, ὄπισθεν δ' ἀπὸ τῆς συνεχούσης ὀρεινῆς αὐχένι διεζευγμένον, ὑπεραῖρον καὶ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀνάβασιν· πρὸς δὲ τῇ ἐρυμνότητι καὶ διώρυξι κρυπταῖς διατέτρηται πανταχόθεν, μέχρι τῶν πεδίων, ταῖς μὲν, ὑδρίας χάριν, ταῖς δ', ἐξόδων λαθραίων· ὧν ἐν μιᾷ Μάριος πολιορκούμενος ἀπέθανε. Ταῖς μὲν οὖν ἄλλαις πόλεσι πλεῖστον τὸ εὐερκὲς πρὸς ἀγαθοῦ τίθεται· Πραινεστίνοις δὲ συμφορὰ γεγένηται διὰ τὰς Ῥωμαίων στάσεις· Καταφεύγουσι γὰρ ἐκεῖσε οἱ νεωτερίσαντες· ἐκπολιορκηθέντων δὲ, πρὸς τῇ κακώσει τῆς πόλεως, καὶ τὴν χώραν ἀπαλλοτριοῦσθαι συμβαίνει, τῆς αἰτίας μεταφερομένης ἐπὶ τοὺς ἀναιτίους.* id est: *nam arcis loco supra Urbem eam adjacet mons excelsus, qui a tergo imminentium montanorum continuitati angusto quodam transitu et quasi collo avellitur, recto adscensu duobus altior stadiis: accedit ad natura-*

in illâ urbe obsidendo includere, copiisque suis praefecit Lucretium Ofellam, qui, quum antea Marianarum partium fuisset, ad Syllam transfugerat (1). Ipse Sylla vero, rebus ad Praeneste ita, ut dixi, constitutis, Romam petiit, Urbem ingressus est, et bona inimicorum suorum, qui sub adventum ejus omnes aufugerant, sub hastâ vendidit (2).

Ista autem infelix pugna ad Praeneste adeo Carbonem perculerat, ut cum copiis suis Ariminum properaret. Quo facto, quum duo Syllani duces, Metellus et Pompejus, abeuntes persequerentur, Metellus partem exercitûs Carboniani facili negotio cecidit, quum quinque hostium cohortes ad eum defecissent, et Pompejus circa Senas item victoriam

---

lem hanc munitionem, quod undique Urbs est cuniculis occultis perforata, quorum alii aquae ducendae, alii clandestinis exitibus inserviunt: in quorum uno obsessus Marius junior periit. Enimvero ut aliis urbibus in parte felicitatis copia rerum ponitur, ita contra Praenestinis sua opulentia calamitosa fuit ob Romanorum seditiones: nam qui novas res moliebantur, eo confugiebant: quibus expugnatis, cum alia damna Urbi injungebantur, tum ager adimebatur, culpâ a sontibus in innoxios translatâ.

(1) Liv. Epit. L. LXXXVIII., Vell. Paterc. Lib. II c. 27., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 88., Aurel. Vict. de Vir. Illustr. cap. LXVIII.

(2) Liv. Epit. Lib. LXXXVII., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I c. 89.

reportavit, illudque oppidum a militibus captum diripi passus est (1).

Attamen Sylla haud diu Romae remansit, sed in Etruriam abiit, ubi Carbo, acceptis equitibus Celtiberorum, magnas copias contraxerat. Cum autem hi Celtiberi magnam partem ad Syllam transgressi essent, Carbo istorum perfidiâ exacerbatus, et metuens, ne reliqui exemplum priorum sequerentur, eos ad unum omnes trucidari jussit. Deinde mox oriebatur grave proelium inter Syllam et Carbonem apud Clusium, et ab utrâque parte tam fortiter pugnabatur, ut neutra acies inclinaret, victoria incerta maneret, et sola nox finem pugnandi faceret (2). Carbo interim nihil magis e re suâ esse arbitrans, quam ut *Marium* ab obsidione liberaret, unum e ducibus suis, Marcium, cum octo legionibus Praeneste mittebat. Quas copias Pompejus ex insidiis adortus in fugam conjecit (3).

Haec vero tam infelici successu suscepta expeditio Marcii, animos Italicorum ducum, M. Lamponii,

---

(1) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 88.
(2) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 89.
(3) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 90.

Pontii Telesini et Guttae Capuani adeo incendebat, ut ad opem *Mario* ferendam concurrerent, exercitumque septuaginta millium armatorum conjungere studerent. Quorum tamen conamina Sylla frustratus est, dum locorum angustias, per quas hostiles copiae penetrare debebant, obsessas tenebat, easque ita ab oppido Praeneste seclusit (1).

Marius interea consilii inops et probe intelligens sibi nullam salutis, nisi in se ipso, spem superesse, eruptionem tentabat. Quae tamen eruptio ei parum profuit, si quidem per Syllam intra oppidum denuo repulsus est, nec ob praesentiam Syllae illam denuo suscipere audebat (2).

Carbo et Norbanus absentiâ Syllae animum recipientes, conjunctis copiis impetum in Metellum ad Faventiam faciebant. Sed quum iniquo loco pugnarent, ipsorum exercitus ita disjiciebantur, ut decem millia occiderentur, sex millia ad Metellum transfugerent, reliqui diffugerent, nec ultra mille hominum, servatis utcunque ordinibus, Arretium reducerentnr (3).

Simulatque hanc cladem legio audivit, cui Al-

---

(1) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. laud.

(2) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. l. l.

(3) Liv. Epit. Lib. LXXXVIII., Appian. Alex. Bell. Civ. L. I. c. 91.

binovanus praeërat, consilium ceperunt transeundi ad partes Syllanas. Quam seditionem vero quum Albinovanus reprimere quidem vellet, nec tamen posset, clam mittebat nuntium ad Syllam, qui huic diceret, se item velle ipsius partes sequi, modo prius veniam ab ipso impetrasset. Ad quae Sylla renuntiari jussit Albinovano, se ipsi omnia condonaturum esse, modo prius memorabili quodam facto ostendisset, se dignum esse, cui gratia redderetur. Accepto hoc nuntio, invitat Albinovanus Norbanum cum legatis suis, Antipatro et Fimbriâ, aliisque ducibus suarum partium ad coenam, eosque omnes, excepto solo Norbano, qui non venerat, interfici curat. Ista autem Albinovani cum crudelitate conjuncta perfidia adeo percellebat animum Norbani, ut nemini amplius confideret, nec se melius quid agere posse crederet, quam ut illico suos desereret, Rhodumque se conferret. Sed quum eo venisset, atque Sylla mox a Rhodiis postularet, ut sibi Norbanum traderent, atque hi de isto consilio deliberarent; Norbanus rei exitum non exspectans, in medio foro mortem suo sibi gladio conscivit (1).

Quod ad Carbonem attinet, quamvis calamitates

(1) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 91.

gravissimae essent, quibus undique premebatur, animum tamen non despondit, imo potius summo studio operam dedit, ut obsessum *Marium* adjuvaret. Damasippum scilicet cum duabus legionibus Praeneste adire jubet, ut *Mario* auxilium ferret. Sed hoc propositum irritum faciebat Sylla, quippe qui occupaverat angustias, per quas Damasippus cum copiis suis penetrare debebat, efficiebatque, ut hostis eo, quo vellet, pervenire non posset (1).

Deinde véro quum ad has calamitates novae accederent, et Syllani duces hîc et illic hostes suos profligassent, dicitur tandem Carbo ita animo fractus fuisse, ut de retinendâ Italiâ desperaret, exercitum desereret, inque Africam cum amicis quibusdam aufugeret, licet etiam, praeter istas duas Damasippi legiones, ipsi triginta millia militum et ingentes Samnitum copiae superessent (2).

Ob hanc vero Norbani mortem et turpem Carbonis fugam non est quod miremur, cur exercitus consularis ad Clusium sine duce relictus, quum viginti fere millia militum a Syllanis deleta essent, penitus dissolutus sit, et superstites milites ad lares quique suos redierint.

---

(1) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 92.

(2) Liv. Epit. Lib. LXXXVIII., Plut. in Sylla p. 470. C., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 92.

Praeterea jam facile quoque intelligitur, quare duces Carboniani variis difficultatibus pressi, a consule suo derelicti, et non modo a Syllâ, verum etiam a Pompejo vexati, clam, nocturno itinere Romam petierint, seque cum Telesino Samnite conjunxerint (1).

Horum ducum conjunctione constabat exercitus eorum octoginta millibus militum, quorum dimidia pars erant Samnites, qui sub Pontio Telesino cive suo, viro fortissimo, militabant.

Sylla de hac conjunctione certior factus, praemittebat Balbum (2) cum septingentis equitibus, ut hostes aliquamdiu moraretur, et ipse citato itinere circa meridiem ad portam Collinam cum exercitu veniebat. Circa nonam diei horam proelium summis utrimque viribus agebatur. Dextrum cornu Syllae, cui M. Crassus praeërat, vincebat: sinistrum vero valde laborabat, quamvis ipse Sylla animo non turbato maneret. Dici tamen vix potest, in quanto periculo tunc Urbs et exercitus Romanus fuerint. Vicit tamen tandem fortuna Romae. Post magnam pugnam primâ noctis horâ Romani supe-

(1) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 92.
(2) Plut. in Sylla p. 470. E.

riores fiebant, castra hostium capiebant, et omnes Samnites trucidabant (1).

Postero die Telesinus semianimis reperiebatur, et non modo ipsius caput, verum etiam Damasippi, Marcii et Carrinatis ad Lucretium mittebantur, ut obsessis Praenestinis monstrarentur. Deinde quum M. Marius Gratidianus a Catilinâ misere laceratus et interfectus esset, hujus quoque caput Praeneste *C. Mario* ostensum est (2).

Quantam vim ad animum *Marii* perturbandum habuerit visum Gratidiani caput, ex eo apparet, quod ab illo inde tempore de salute suâ desperaverit, et quum se a Syllâ proscriptum audivisset, vitae finem facere constituerit. Qualis autem haec finis fuerit, de eo Scriptores dissentiunt. Alii (3) enim dicunt *Marium* suâ sese manu interfecisse; alii (4) memoriae prodiderunt, ipsum concurrentem cum minore

(1) Liv. Epit. Lib. LXXXVIII., Plut. in Sylla p. 471. A., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib I. c. 93, Oros. Lib. V. c. 20.

(2) Liv. Epit Lib. LXXXVIII., Vell. Paterc. Lib. II. cap 27, Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 93, Dio Cass. Tom I. pag. 54. Edit. Reimar. Frontin. Strateg. Lib. II. cap. 9. ex 3, Oros. Lib. V. cap. 21.

(3) Plut. in Mario p. 433 D., App. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 94.

(4) Oros. Lib. V. cap 21.

Telesini fratre unâ obsesso et erumpente, mutuis ictibus occubuisse: rursus alii (1) referunt, *Marium* a servo suo precibus impetrasse, ut se interficeret: alii (2) denique perhibent, ipsum per cuniculos miro opere fabricatos, inque diversas partes agrorum ferentes, erumpere voluisse, sed cum in eo esset, ut e terrâ emergeret, a militibus, ad foraminis exitum dispositis, prehensum et interemtum esse. Quae autem ex his opinionibus vera sit, haud facile quis dixerit: mihi postrema reliquis probabilior videtur.

Ita diem obiit supremum *C. Marius*, quem Syllam dixisse tradunt, cum ejus caput Romam a Lucretio Ofellâ missum esset, *potius remum, quam gubernacula tractare debuisse* (3). Interim tamen facile intelligitur, quam acerbum sibi inimicum Sylla hunc *C. Marium* judicaverit, quod demum post mortem ejus cognomen *Felicis* (4) assumserit.

§ 7.

De C. Marii indole.

Quid vero jam de *C. Marii* indole dicam? Li-

(1) Liv. Epit. Lib. LXXXVIII., Diod. Sicul. Tom. II. pag. 541. Edit. Wessel., Val. Max. Lib VI. cap. 8. 2, Aurel. Vict. de Vir. Illustr. cap. LXVIII.

(2) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 27.

(3) Appian. Alex. Bell. Civ, Lib. I. c. 94.

(4) Conf. Plut. in Sylla pag. 473. D., Aurel. Vict. de Vir. Il-

terarum humaniorum studia ad animum ejus formandum, ad mores emolliendos, et ad humanitatis sensum excitandum haud multum contulisse, supra (1) jam ostendi. Praeterea adsunt veterum Scriptorum (2) testimonia, e quibus abunde constat, filium aeque crudelem ac sanguinolentem fuisse atque patrem. Nonne enim jussu illius, Damasippus praetor senatores Romae in curiam quasi ad deliberandum de Republicâ convocatos interfecit? Nonne isto nefario scelere vitam amiserunt C. Papirius Carbo, P. Antistius, L. Domitius, Q. Mucius Scaevola, pontifex maximus, quem *Cicero* (3) testatur maluisse mortem subire, *quam armatum ad patriae moenia accedere?* Quid plura? In ducibus factionum Romanarum semper multam crudelitatem fuisse, historia nos docet. Gracchi, *Marius* pater et Sylla nobis manifestissima testimonia praebent. Et quamvis *Marium* patrem ob meritorum conscientiam et plane militarem educationem nonnihil excu-

---

lustr. cap. LXXV. Operae pretium est de hoc Syllae cognomine conferre quae disputavit Salmasius in Exercit Plin: p. 39. b. B.

(1) In § 3.

(2) Plut. in Mario p. 433. C., Vell. Paterc. Lib. II. cap. 26.

(3) Cicero Epist. ad Attic. Lib. VIII. Epist. 3, de Nat. Deor. L. III. c. 32.

sare queamus, minime tamen video, quâ ratione filium excusemus, qui in inimicos suos summâ saevitiâ grassatus est (1), quum nihil egerit, quod aliquâ laude dignum sit. Equidem certe eum inter istos referendum arbitror, qui Romano nomini magno dedecori fuerunt.

§ 8.

De C. Marii propinquis et affinibus.

De majoribus *C. Marii* filii hoc tantum novimus, avum ipsius fuisse *Marium*, operarium et inopem hominem, aviam vero *Φουλκινίαν* (2), de quâ nihil habeo, quod dicere possim. Tum ostendimus ipsius parentes fuisse *C. Marium* septies consulem et *Juliam*, Caesaris amitam (3).

A stirpe vero paternâ cum *Mario* filio conjuncti fuerunt:

1. Patris Marii *soror*, quae matrimonio juncta fuisse videtur cum Lusio quodam, homine ignoto, cujus nusquam mentionem inveni, nec quem aliunde

(1) Vid. de *C. Marii* filii crudelitate, praeter alios Flor. Lib. III. cap. 21. § 20. sq.

(2) Interpres illam vocat *Fulciam*, Cf. Plut. in Mario p. 407. A.

(3) Vid. supra § 2.

novi, nisi ex iis, quae de filio ejus C. Lusio apud *Plutarchum* commemorantur, et mox a nobis exponentur.

2. Ex eodem *Plutarcho* etiam discimus *C. Marium* filium habuisse *sororem*, *Calpurniam* dictam: legimus (1) enim *Μάριος πρὸς Κίμβρους πόλεμον ἔχων, καὶ ἡττώμενος, ὄναρ εἶδεν, ὅτι νικήσει, ἐὰν τὴν θυγατέρα προθύσῃ· (ἦν δ' αὐτῷ Καλπουρνία) προκρίνας δὲ τῆς φύσεως τοὺς πολίτας, ἔδρασε καὶ ἐνίκησε. Καὶ ἔτι καὶ νῦν βωμοί εἰσι δύο ἐν Γερμανίᾳ, οἵ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἦχον σαλπίγγων ἀποπέμπουσιν, ὡς Δωρόθεος ἐν τετάρτῳ Ἰταλικῶν.* id est *Vicius bello Cimbrico Marius, somnio monitus est, victorem se fore, si filiam suam Calpurniam immolaret. Fecit hoc ille, civium saluti naturae vinculo posthabito, ac vicit. Atque etiamnum duae sunt in Germaniâ arae, quae sub id tempus sonum tubarum edunt. Dorotheus quarto Italicorum.* Sed quid de hoc loco statuam plane ignoro. Primum enim nusquam alibi mentionem factam inveni filiae *Marii*: deinde adsequi non possum, undenam illa filia nomen *Calpurniae* habuerit: et denique admodum dubito, an *C. Marius*, quamvis homo superstitiosus reapse fi-

---

(1) Plut. in Parall. p. 310. D. E. In Graecis quidem legitur *Μάνιος*, sed nullum est dubium, quin *Μάριος* legendum sit.

liam immolaverit. Praeterea non video, quomodo *Plutarchus* scribere potuerit, *C. Marium* a Cimbris victum fuisse, quum nec ipse in vitâ *Marii*, nec alius quispiam Historicorum victoriae Cimbrorum mentionem fecerit. Et quomodo illa filiae immolatio convenit cum aliis verbis Plutarchi (1) ubi ait: *ἐνταῦθα νιψάμενος ὁ Μάριος τὰς χεῖρας καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ʼανασχὼν, ηὔξατο τοῖς θεοῖς κατὰ ἑκατόμβης· ibi lautas manus* Marius *ad coelum tollens, Diis vovit immolaturum se centum boves?*

Certum quidem est, Romanos aliquoties homines vivos immolasse. Hoc enim factum fuisse legimus A. U. C. 527, 537 et 640. Sed quinam erant hi homines? Erant peregrini, Graeci et Galli, qui in foro boario vivi dicuntur defossi esse (2). Praeterea satis certum mihi esse videtur, Romanos ipsos ab istâ immanitate penitus abhorruisse, ideoque Senatus-consulto circa A. U. C. 657, P. Licinio Crasso et Cn. Lentulo Coss., decretum fuisse, ne in toto imperio Romano hostia humana immolaretur (3).

Satis quidem notum est, virgines Vestales funebri pompâ et ritu ad portam Collinam delatas in sub-

(1) Plut. in Mario p. 420. C. D.
(2) Liv. Lib. XXII. cap. 57, Plut. in Marcello p. 299. D., in Quaest. Rom. p. 283. F. et 284. C., Oros. Lib. IV. cap. 13.
(3) Plin. Hist. Nat. Lib. XXX. cap. 1.

terraneum cubiculum, exstructum in Campo Scelerato, descendere debuisse, et sic vivas sepultas esse; sed hoc, quamvis immane supplicium non nisi noxiae subibant, quum contra ea supra memorati homines innocentes tam crudeliter punirentur (1).

Credo igitur, his omnibus in utramque partem consideratis, Graecum scriptorem Dorotheum, quem *Plutarchus* (2) auctorem citat, in eo errasse, quod somnium *Marii* pro vero facto habuerit.

3. *C. Lusius*, filius amitae *Marii* junioris, fuit tribunus militum in avunculi sui exercitu, et huic non modo ob propinquitatem, verum etiam ob virtutem bellicam carus. Hic adolescens insanâ libidine flagrans, quum aliquoties frustra commilitonem Trebonium, vel ut alii eum vocant C. Plotium, tentasset, tandem illum noctu ad se in tentotorium vocat, verum ab eo, quem ad illicitum amorem cogere vellet, interficitur. Aberat tunc forte *Marius* a castris: sed quum reversus esset, judicium in principiis instituebatur, et interfector *Lusii* acriter accusabatur. Hic summâ animi constantiâ ipse se defendit, testesque adduxit, qui eum ab inter-

---

(1) Conf. Plut. in Fabio p. 184. E. et Lipsius de Vestâ cap. 13.
(2) Plut. in Parall. p. 310. E.

fecto saepe ad turpem amorem invitatum confirmabant. *Marius* igitur, re cognitâ, non modo absolvit accusatum, verum etiam ei coronam ob fortia facta dari alioquin solitam, dono dedit (1).

4 *Granii.* Duos invenimus in scriptis Veterum *Granios*, magistratibus functos, *Cnejum* et *Quintum*. Hos ambos a L. Cornelio Syllâ hostes judicatos esse, et cum *Mario* ex Urbe profugisse, refert *Appianus Alexandrinus* (2).

Cnejus Granius quaestor provincialis fuisse legitur A. U. C. 654 (3): deinde A. U. C. 659 (4) tribunatu functus est: mox A. U. C. 663 (5) aedilis plebis fuit: deinde A. U. C. 668 (6) praeturam sibi arrogasse refertur: et denique eodem anno (7) illi propraetura prorogata est.

Quintus Granius secundum *Pighium* (8) diversus est *a Q. Granio praecone, quem Lucilius poëta*

---

(1) Cic. in Orat. pro Archiâ cap. 9, pro Milone cap. 4, Plut. in Mario p. 413 B. C., in Apophthegm. p. 202 B. C., Val. Max. Lib. VI. cap. 1. 12., Quinctil. Declam. III.

(2) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib I. cap. 60.

(3) Pighii Ann. ad A. U. C. 654.

(4) Pighii Ann. ad h. a.

(5) Pighii Ann. ad h. a.

(6) Pighii Ann. ad h. a.

(7) Pighii Ann. ad h. a.

(8) Pighii Ann. A. U. C. 658.

celebravit, qui eodem tempore vixit, facetiis asperioribus foro Romano notissimus. Plutarchus auctor in Mario, Q. Granium illum privignum et fugae comitem C. Marii *fuisse.* Sed *Pighius* sibi in his enarrandis non constat: nam alio loco (1) dixit: *Alterum autem ex istis Graniis* C. Marii *privignum, et ab Ostiâ fugae socium fuisse testatur Plutarchus in ejus vitâ* (2)*: Sed Cnejus, an Quintus Granius fuerit, non liquet, aut Plutarchi ipsius, aut librariorum culpâ, quorum negligentiâ praenomen in libris periit.*

Q. Granius a Pighio (3) inter quaestores provinciales A. U. C. 658 refertur: tribunus plebis fuisse dicitur A. U. C. 663 (4): praetor A. U. C. 668 (5) et denique praetor provincialis A. U. C. 669 (6), uti et provinciae prorogatae (7).

Unus igitur ex his duobus *Graniis* Marii *privignus* fuisse dicitur. Uter vero eorum is fuerit, narrare oblitus est *Plutarchus* (8), qui solus Granium

---

(1) Pighii Ann. ad A. U. C. 654.
(2) Plut. in Mario p. 425. F.
(3) Pighii Ann. ad A. U. C. 658.
(4) Pighii Ann. ad h. a.
(5) Pighii Ann. ad h. a.
(6) Pighii Ann. ad h. a.
(7) Pighii Ann. ad A. U. C. 669.
(8) Plut. in Mario p. 425. F.

privignum vocavit. Praeterea quaeritur, quaenam mater illius privigni fuerit? Si *Julia* fuit, necessarium est, illam, quum *Mario* nuberet, viduam cujusdam Granii fuisse. Sed de priore illo *Juliae* matrimonio nihil apud veteres reperitur. Quid vero, si *Marius* duas uxores habuerit, quarum prior mater Granii fuerit? De hoc quoque nihil novimus. At si vel maxime verum sit, *Marium* duas deinceps uxores habuisse, illa Granii mater prior *Marii* uxor fuisse debuit, si quidem *Julia* vivebat, quum filius *Marius* erat consul. Hoc enim ex eo apparet, quod *Julia* ob immaturum filii honorem lacrymasse perhibetur (1). Omnia igitur hâc de re plane incerta et obscura sunt, nec scio, quomodo hac difficultates probabiliter dissolvi queant.

5. *Marcus Marius Gratidianus.* Hic fuit filius naturalis illius Marci Gratidii, cujus soror fuerat Ciceronum, Marci et Quinti fratrum, avia. Legimus enim apud Ciceronem (2): *Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cujus in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in simpulo,*

(1) Aurel. Vict. de Vir. Illustr. cap. LXVIII.

(2) Cic. de Leg. Lib. III, cap. 16.

ut dicitur, *Gratidius*, *quos post filius ejus Marius in Aegaeo excitavit mari.* Praeterea exstat apud *Ciceronem* (1) alius locus, ubi *Gratidius* dicitur *Marci Marii Gratidiani pater.* Qui locus adeo difficilis mihi est ad intelligendum, ut, quomodo interpreter, plane nesciam.

Quoniam vero ipsum *Marii Gratidiani* nomen satis indicat, hunc Gratidii filium, praeter patrem naturalem, etiam *adoptivum*, *Marium* quemdam habuisse: non sine causâ quaeritur, quis ille *Marius* fuerit, a quo Gratidii filius adoptatus sit.

De hoc igitur adoptivo patre Viri Docti dissentiunt. Duas inprimis diversas illorum sententias ferri video. Alii enim, quorum princeps est *Jo. Frid. Gronovius* (2), illum Marcum Marium *C. Marii* septies Consulis *patruum* fuisse statuunt. Alii contra ea, quorum, ut ita dicam, agmen ducit *Jac. Perizonius* (3), eum non patruum, sed *C. Marii* septies consulis *fratrem* fuisse contendunt. Jam autem, quum in scriptis Veterum neque *patruus*, neque *frater C. Marii* nominatim commemoretur, certis et extra omnem controversiam positis argu-

(1) Cic. in Bruto cap. 45.

(2) Observat. Lib. II. cap. 6. p. m. 197.

(3) Animadv. Hist. cap. III. p. 98. sq.

mentis demonstrari omnino nequit, utra harum sententiarum vera sit. Interim tamen fieri potest, ut investigemus et inquiramus, utra illarum verisimilior habenda sit.

Ut igitur haec inquisitio et recte instituatur, et ad probabilem exitum perducatur, quoad scilicet ejus fieri potest: haud a re alienum, ne dicam necessarium, duco, ut prius exponamus, quibus honoribus hic *M. Marius Gratidianus* in Republicâ functus sit, et quibus annis singulos obtinuerit.

In hac autem computatione sequar *Pighium*, qui dicit hunc Gratidianum *quaestorem provincialem* fuisse A. U. C. 656 (1): *tribunum plebis* A. U. C. 661 (2): *aedilem plebis* A. U. C. 664 (3): *praetorem* A. U. C. 667 (4) et iterum *praetorem* A. U. C. 671 (5).

Nonne ex hac munerum deinceps gestorum serie luce clarius apparet, hunc *M. Marium Gratidianum* juniorem fuisse *C. Mario* septies consule?

---

(1) Pighii Annal. ad h. a.
(2) Pighii Annal. ad h. a.
(3) Pighii Annal. ad h. a.
(4) Pighii Annal. ad h. a.
(5) Pighii Annal. ad h. a. Ipsum bis praeturâ functum fuisse diserte testatur *Ascon. Pedian.* ad Cic. Or. in Togâ Cand. p. m. 110.

Quodsi enim verum est, de quo *Fasti* nos dubitare non sinunt, *C. Marium* A. U. C. 667, aetatis vero septuagesimo, mortuum fuisse, nec ulla ratio adsit, cur statuamus *Gratidianum* non suo tempore, sed prius, hoc est ante annum aetatis suae trigesimum primum, quaesturam gessisse; inde procul dubio sequitur, *Gratidianum* circa A. U. C. 625 natum, ideoque *C. Mario* patre viginti octo annis minorem fuisse, quippe cujus annus natalis incidat in A. U. C. 597.

Vere igitur scripsit *Perizonius* (1): *Ratio temporis vix patitur Gratidianum hunc adoptatum fuisse a patruo C. Marii septies Consulis, qui quarto utique anno ante Gratidianum, in flore aetatis exstinctum, mortuus fuit, et tamen quum moreretur, aliquot annis aetatis suae septuagesimum jam excesserat* (2).

---

(1) Perizon. in Animadv. Hist. cap. III. p. 99.

(2) *Plutarchus* refert in Mario p. 432. F. *Marium* septuaginta annos natum sortem suam lamentatum fuisse, quum septies consul fuisset, quasi immature ex hac vitâ decederet. Quodsi igitur dicimus *C. Marium* mortuum fuisse, teste *Plutarcho*, anno aetatis septuagesimo, hoc ita intelligendum est, ipsum non ante illum annum diem obiisse supremum. Equidem enim opinor, *C. Marium*, quum moreretur, septuagenario paulo majorem fuisse, neque id propterea, quod *Perizonium* video ita statuisse, ubi dicit, *et tamen quum moreretur, aliquot annis aetatis suae septuagesimum jam*

His omnibus recte consideratis et perpensis, verisimilior mihi videtur *Perizonii* sententia, secundum quam *M. Marius Gratidianus* et *C. Marius* filius *fratres patrueles* fuisse dicuntur.

Appianum vero, ut supra (1) dixi, hunc *M. Marium Gratidianum* ignorasse, certe non satis accurate a reliquis Mariis distinxisse, admodum verisimile est. Primum enim eum vocat *Cajum Marium* (2), et ignorans, quis ille fuerit, satis habet eum vocare *alium*. Refert enim, ad Cinnam in Italiâ turbas cientem confugisse factionis suae adseclas C. Milonium, Q. Sertorium, *καὶ Γάϊον Μάριον ἕτερον*. Deinde vero alio loco (3) eundem simpliciter vocat *Marium*, nullo addito praenomine, eumque confundit cum *C. Mario* filio, Carbonis in consulatu collegâ. Videatur *Schweighaeuserus* in annot. ad Appianum pag. 331 et 711.

Quoniam vero hic *M. Marius Gratidianus*, cujuscunque demum filius adoptivus fuerit, cum *C. Mario* filio nimis conjunctus fuit, et inter Marianae

---

excesserat, sed quod apud *Georg. Fabricium* in Antiq. Monumentis Lib. I. p. 75 de *C. Mario* legimus: *Post septuagesimum annum patriâ per arma civilia pulsus, armis restitutus, septies consul factus est.*

(1) § 2. pag. 27.

(2) App. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 65.

(3) App. Alex. Bell. Civ. Lib. I. cap. 87.

factionis principes referendus est, haud a re alienum mihi videtur de hoc viro paulo fusius agere.

Cicero (1) dicit *Cn. Carbonem*, M. Marium, *et ex eodem genere complures minime dignos elegantis conventûs auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus.* Fuit igitur homo turbulentus, et idcirco idem *Cicero* (2) dicit, *ipsum fluctus in mari Aegaeo excitasse, quum pater non nisi in simpulo illos excitasset.* Praeterea novimus inter hunc *Gratidianum* et C. Sergium Oratam litem exortam esse de venditis aedibus, cujus *Cicero* (3) his verbis meminit: *M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Oratae* (4) *vendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hae Sergio serviebant* (5): *sed hoc in mancipio* (6) *Marius non dixerat. Ad-*

(1) Cic. in Brut. cap. 62.

(2) Cic. de Leg. Lib. III. cap. 16.

(3) Cic. de Offic. Lib. III. cap. 16.

(4) *Oratae.* In aliis libris legitur *Auratae*, siquidem hoc cognomen a genere quodam piscium, quo maxime delectabatur, habuisse dicitur. vid Heusing. ad h. l.

(5) SERVIRE *dicuntur aedes*, ut Heusing. ad h. l. ait, *et praedia, in quibus vicini praedii domino aliquid ad sui praedii utilitatem agendi vel habendi jus constitutum est, quod communi jure agere vel habere non liceat.* Vid. Ernest. Clav. Cic voce *servitus.*

(6) *Mancipium* vel *lex Mancipii* vocatur formula, quâ condi-

ducta res in judicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Crassus urgebat: quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere praestari: aequitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes vendidisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret. Quorsum haec? ut illud intelligas, non placuisse majoribus nostris astutos. — Hujus litis item meminit *Cicero* de Orat. Lib. I. cap. 39.

Porro etiam constat litem inter *M. Marium Gratidianum* et Aculeonem, equitem Romanum exstitisse. Sed de quâ re litigaverint, non dicitur (1).

Quam callide se gesserit in praeturâ, et quâ astutiâ collegas suos deceperit, refert idem *Cicero* (2)

---

tiones abalienationis sive venditionis expositae et circumscriptae sunt. Ceterum initio hujus cap. dicit Cicero: *Ac de jure quidem praediorum sancitum apud nos est jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori. Nam, cum ex XII Tabulis satis esset ea praestari, quae essent linguâ nuncupata; quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret: a jureconsultis etiam reticentiae poena est constituta. Quidquid enim esset in praedio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere.*

(1) Cic. de Orat. Lib. II. cap. 65.

(2) Cic. de Offic. Lib. III. cap. 20.

his verbis: *Ne noster quidem Gratidianus officio boni viri functus est tum, cum praetor esset, collegiumque praetorum tribuni plebis adhibuissent, ut res numaria de communi sententiâ constitueretur* (1). *Jactabatur* (2) *enim temporibus illis numus, sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum poenâ, atque judicio, constitueruntque, ut omnes simul in Rostra post meridiem escenderent. Et ceteri quidem alius alio: Marius a subselliis in Rostra recta, idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit. Omnibus vicis statuae* (3)*: ad eas tus, cerei. Quid multa? nemo umquam multitudini fuit carior. Haec sunt, quae conturbant in deliberatione nonnumquam, cum*

---

(1) Ut res numaria ordinaretur et pecuniae certum ac legitimum pretium statueretur.

(2) *Langius* et *Lambinus* dubitarunt an *latine* diceretur *numus jactatur* pro *incertum numi pretium est: Graevius* vero et *Facciolatus* et alii crediderunt hoc recte ita dici posse, siquidem *jactari* dicerentur, quae certo loco non consisterent, variarentur; et modo extollerentur, modo deprimerentur. Exemplum hujus dictionis haud exstare credo. Ceterum de ipsâ Gratidiani lege vid. Gronov. de Pec. Vet. p. 661.

(3) Eadem referunt Plin. Hist. Nat. Lib. XXXIII cap. 9, et Lib. XXXIV cap. 6, nec non Seneca de Irâ Lib. III cap 18.

id, in quo violatur aequitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, praeripere collegis, et tribunis plebis popularem gratiam, non ita turpe: consulem ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit; aut, si turpe est, ne videatur esse utile. Quid igitur? possumusne — hunc virum bonum judicare?

Quod denique ad mortem attinet quam hic tam carus populo Praetor jussu Syllae subiit, de qâ haud pauci scriptores questi sunt, eamque diversis verbis descripserunt. Ex his vero praecipuos deinceps exhibebo.

Q. Cicero (1).

Quid ego nunc dicam, petere eum consulatum, qui hominem carissimum populo Romano, M. Marium, inspectante populo Romano, vitibus per totam Urbem ceciderit? stanti collum gladio

(1) Cic. de petit. Consul. cap. 3, Ascon. Ped. ad Or. in Togâ Cand p. 110.

suâ dexterâ secuerit, cum sinistrâ capillum ejus a vertice teneret? caput suâ manu tulerit, cum inter digitos ejus rivi sanguinis fluerent.

Item *Asconius Pedianus* (1).

M. Marii Gratidiani summi popularis hominis, qui ob id bis praetor fuit, caput abscissum per Urbem suâ manu Catilina tulerat. Fuerat vero hic Gratidianus arctâ necessitudine Ciceroni conjunctus.

Tum *Seneca* (2).

M. Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure et vino supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit; ut quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paullatim et per singulos artus laceravit. Quis erat hujus imperii minister? Quis, nisi Catilina, jam in omne facinus manus exercens? Hic illum ante bustum Q. Catuli carpebat, gravissimus mitissimi viri cineribus: supra quos vir

(1) Ascon Pedian ad Cic. in Togâ Cand. l. l.
(2) Seneca de Irâ Lib. III. cap. 18.

mali exempli, popularis tamen, et non tam immerito quam nimis amatus, per stillicidia sanguinem dabat. Dignus erat Marius, qui illa pateretur, Sylla qui juberet, Catilina qui faceret: sed indigna Respublica, quae in corpus suum pariter et hostium et vindicum gladium reciperet.

Porro *Lucanus* (1):

Quid sanguine, manes
Placatos Catuli referam? cui victima tristes
Inferias Marius, forsan nolentibus umbris,
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto:
Cum laceros artus, aequataque vulnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore caeso
Nil animae letale datum, moremque nefandae
Dirum saevitiae, pereuntis parcere morti.
Avulsae cecidere manus, exectaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit aëra motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncae
Amputat: ille cavis evolvit sedibus orbes,
Ultimaque effodit spectatis lumina membris.

Valerius Maximus (2):

Quam porro crudeliter se (Sylla) *in M. Mario praetore gessit! quem per ora vulgi ad sepulcrum*

---

(1) Lucani Pharsal. Lib. II. vs. 173. sq.
(2) Val. Max. Lib. IX. cap. 2. 1.

Lutatiae gentis pertractum, non prius vitâ privavit, quam oculos infelicis erueret, et singulas corporis partes confringeret.

Florus ita (1):

Marium, ducis ipsius fratrem, apud Catuli sepulcrum, oculis, manibus, cruribusque defossis, servatum aliquamdiu, ut per singula membra moreretur.

Et denique *Orosius* (2):

M. Marium siquidem, de caprili casâ extractum, vinciri Sylla jussit: ductumque trans Tiberim ad Lutatiorum sepulchrum, effossis oculis, membrisque minutatim desectis, vel etiam fractis, trucidari.

6. *P. Rutilius Rufus.* Secundum *Dionem Cassium* (3) fuit *Rutilius Lupus* propinquus *C. Marii* patris, atque propterea etiam *C. Marii* filii. Ve-

---

(1) Florus Lib. III. cap. 21. § 26.
(2) Orosius Lib. V. cap. 21.
(3) Dio Cass. Tom. I pag. 46. Ed. Reim.

rum si ea, quae de hoc *P. Rutilio* Dio Cassius paulo ante (1) narrat, comparamus cum iis, quae *Cicero* (2), *Florus* (3), *Orosius* (4) et alii de *P. Rutilio* referunt, *Dionem Cassium* in cognomine *Lupi* errasse, ejusque loco nomen *Rufi* substituendum esse verisimile est.

Atque haec de propinquis *C. Marii* a stirpe paternâ.

A stirpe maternâ consobrinus fuit C. Julii Caesaris, uti supra jam vidimus.

Praeterea inito cum *Liciniâ* matrimonio, affinitate conjunctus fuit cum L. Licinio Crasso, Quintoque Mucio Scaevolâ, de quibus praestat silere, quam pauca dicere.

Pseudo-Marius. Tandem non praetereundus est silentio iste *Pseudo-Marius*, qui se *C. Marii* junioris filium esse dicebat, quemque alii (5) *C. Amatium*, alii (6) *Herophilum* appellant. Hic igitur fugitivus homo, qui, ut *Cicero* (7) ait, *in C. Marii*

---

(1) Dio Cass. Tom. I pag. 44.
(2) Cic. in Bruto cap. 30 et alibi.
(3) Florus Lib. III. cap. 17.
(4) Orosius Lib. V. cap. 17.
(5) Liv. Epit. Lib. CXVI., Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. III. cap. 2.
(6) Val. Max. Lib. IX. cap. 15. 1.
(7) Cic. Or. Philipp. I. cap. 2.

nomen invaserat, convertit se ad Ciceronem, eumque rogavit, ut ab ipso defenderetur contra eos, qui negarent eum *C. Marii* septies consulis nepotem esse. Scribit enim *Cicero* ad Atticum (1). *Heri, non multo post, quam tu a me discessisti, puto, quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata et literas attulerunt a C. Mario C. F. C. N. multis verbis agere mecum per cognationem, quae mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi, avi sui, ut se defenderem: causamque suam mihi perscripsit. Rescripsi, patrono illi nihil opus esse, quoniam Caesaris, propinqui ejus, omnis potestas esset, viri optimi, et hominis liberalissimi: me tamen ei fauturum.*

Atque alio loco (2) dicit: *Exspecto quid de Mario: quem quidem ego sublatum rebar a Caesare.* Et denique in duabus aliis epistolis (3) breviter de isto homine loquitur hoc modo: *Paullus mihi de Mario et de republicâ alia quaedam pessima. — De Mario probe: etsi doleo L. Crassi nepotem.*

Jam autem ex his, quos citavi Scriptoribus, vide-

(1) Cic. Epist ad Attic. Lib. XII. Ep. 49.
(2) Cic. Epist. ad Attic. Lib. XIV. Epist. 6.
(3) Cic. Epist. ad Attic. Lib. XIV. Epist. 7. & 8.

mus istum mulomedicinam, sive artem veterinariam profitentem nebulonem, jam vivo etiam Caesare, turbas cum in Urbe, tum circa Italiae municipia movisse, sed ab hoc in exsilium ejectum fuisse. Praeterea ex iisdem Scriptoribus discimus, istum tranquillitatis publicae perturbatorem, auditâ Caesaris nece, ab exsilio in Urbem rediisse, atque Senatum e medio tollere voluisse, sed mox ab Antonio consule captum, in vincula conjectum, et sine judicio occisum esse. Quae omnia quo melius perspiciantur, veterum Scriptorum loca nunc subjiciam.

Cicero ita (1):

Liberatus caedis periculo paucis post diebus Senatus: uncus impactus est fugitivo illi (Pseudo-Mario), *qui in C. Marii nomen invaserat.*

Livius (2):

C. Amatius, humillimae sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, quum apud credulam plebem seditiones moveret, necatus est.

---

(1) Cic. Orat. Philipp. I. cap. 2.
(2) Liv. Epit. Lib. CXVI.

Valerius Maximus (1):

Nam, ut Equitium Firmo Piceno monstrum veniens, relatum jam in hujusce libri superiore parte, praetercam, cujus in amplectendo Ti. Graccho patre, evidens mendacium, turbulento vulgi errore, amplissimâ tribunatûs potestate vallatum est, Herophilus equarius medicus C. Marium septies consulem avum sibi vindicando ita se extulit, ut coloniae veteranorum complures, et municipia splendida, collegiaque fere omnia patronum adoptarent. Quinetiam cum C. Caesar, Cn. Pompejo adolescente in Hispaniâ oppresso, populum in hortis suis admisisset, proximo intercolumnio pene pari studio frequentiae salutatus est. Quod nisi divinae Caesaris vires huic erubescendae procellae obstitissent, simile vulnus respublica excepisset, atque in Equitio acceperat. Ceterum decreto ejus extra Italiam relegatus, postquam ille coelo receptus est, in Urbem rediit, et consilium interficiendi senatûs capere sustinuit. Quo nomine jussu patrum necatus in carcere, seras promti animi ad omne moliendum scelus poenas pependit.

---

(1) Valer. Max. Lib. IX. cap. 15. 1.

Suetonius (1):

Plebs statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit: atque aegre repulsa, obvium sibi Helvium Cinnam, per errorem nominis, quasi Cornelius esset is, quem graviter pridie concionatum de Caesare requirebat, occidit: caputque ejus praefixum hastae circumtulit. Postea solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit: scripsitque, Parenti Patriae. *Apud eamdem longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem jurejurando distrahere, perseveravit.*

Appianus Alexandrinus (2):

Ἀμάτιος ἦν ὁ ψευδομάριος· Μαρίου γὰρ ὑπεκρίνετο υἱωνὸς εἶναι, καὶ διὰ Μάριον ὑπερήρεσκε τῷ δήμῳ. γιγνόμενος οὖν κατὰ τήνδε τὴν ὑπόκρισιν συγγενὴς τῷ Καίσαρι, ὑπερήλγει μάλιστα αὐτοῦ τεθνεῶτος, καὶ βω-

---

(1) Sueton. in Caes. cap. 85. Quae *Suetonius* a plebe facta enarrat, illa magnam partem operâ *Pseudo-Marii* peracta esse, praesertim quae ad aram in foro positam pertinent, e verbis Appiani Bell. Civ. Lib. III cap. 2 apparet.

(2) Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. III. cap. 2.

μὸν ἐπῳκοδόμει τῇ πυρᾷ, καὶ χεῖρα θρασυτέρων ἀνδρῶν εἶχε, καὶ φοβερὸς ἦν αἰεὶ τοῖς σφαγεῦσιν. id est. *Erat Amatius quidam, qui se falso in Marii nomen inseruerat, quasi majoris Marii nepos; gratiosus apud plebem ob ipsius Marii memoriam. Is quoniam hac simulatione effecerat, ut videretur Caesari cognatione conjunctus, prae ceteris aegre ferens ejus obitum, aram eo loco, ubi crematus est, posuit: stipatusque manu hominum audacium, terrori conjuratis fuit.*

Quae de his Equarii medici turbis refert *Freinshemius* in Suppl. ad *Livium* Tom. VI pag. 701 Edit. Drakenb. omnino conferri merentur.

§ 9.

De aliis Mariis.

In scriptis Veterum multi *Marii* sese nobis offerunt, quorum alii fuerunt Arpinates, alii Sidicini, alii Valentini, alii aliarum regionum. Nam non solum in Italiâ, sed etiam extra ipsam erant, qui *Marii* vocabantur, neque tantum liberae reipublicae temporibus, verum etiam sub Caesaribus et recentiori adeo aetate. Utrumne *Marii* isti genus ab

antiquo *Mario* deduxerint, an hoc nomen aliunde sumserint, quis dicat? Nomen certe Romanis auribus gratum sonabat, cum propter memoriam illius, qui primus illustravit, tum ob ipsam nominis significationem, quae cum virili fortitudine conjuncta est. Sic, ut hoc utar, apud *Horatium* legimus *mares animos* (1), *mares Curios* (2).

Horum igitur praecipuos, quum de omnibus dicere infinitum sit, nunc breviter recensebimus.

I.

Marcus Marius Sidicinus.

Primus horum est ille *Marcus Marius*, cujus meminit *Gellius* (3), ubi ex quâdam C. Gracchi oratione haec refert: *Nuper Teanum Sidicinum consul venit, uxor ejus dixit, se in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino a* Marco Mario *datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro,*

---

(1) Horat. Epist. ad Pison. vs. 402.

(2) Horat. Epist. Lib. I. Epist. I. vs. 64, ad quem locum vide Torrentium.

(3) Aul. Gell. Noct. Attic. Lib. X. cap. 3.

parum cito sibi balneas traditas esse, et parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro: eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo Marcus Marius. *Vestimenta detracta sunt, virgis caesus est.*

Ad hunc locum scribit *Jacobus Gronovius*, difficile dictu esse, quâ dignitate hic *Marius* apud Sidicinos fuerit, et quo jure id negotium dederit quaestori, a quo omnino diversus haberi debeat. Et, paucissimis interjectis, addit idem vir doctus, *M. Marium* fuisse quaestorem Sidicinum, et jure illius dignitatis curam balneorum publicorum, tanquam partem vectigalium, ad ipsum pertinuisse. Quae quomodo inter se cohaereant, non video. Ille *M. Marius*, quod *suae civitatis nobilissimus homo* vocatur, potius Duumvir sive summus magistratus oppidi sui fuisse, et propterea quaestori suo balneorum vacuefaciendorum negotium mandasse videtur. — Praeterea quod *Car. Langius*, teste *Perizonio* (1), putavit, hunc *M. Marium C. Marii* septies consulis patruum et *M. Marii Gratidiani* patrem adoptivum fuisse, omni verisimilitudine caret, si quidem hic *M. Marius* fuit Sidicinus, *C. Ma-*

(1) Perizon. Animadv. Hist. cap. III. p. 98.

rius vero Arpinas, uti recte *Perizonius* (1) animadvertit.

2.

Marius Egnatius.

Tempore belli Marsici, unus ex nobilissimis ducibus Sociorum Italicorum adversus Romanos fuit hic *Marius* sive *Egnatius* sive *Ignatius* dictus, quemadmodum ex antiquis Scriptoribus novimus (2).

3

Lucius Marius.

Tertius est ille *Lucius Marius*, qui cum M. Catone circa A. U. C. 691 tribunus plebis fuisse perhibetur. De hoc *Mario* nobis haec fere refert *Valerius Maximus* (3): Quum nonnulli Imperatores nimiâ triumphi agendi cupiditate incensi, nonnunquam a Senatu petiissent, ut sibi triumphus decer-

---

(1) Perizon. Animadv. Hist. cap. III. p. 99.

(2) Liv. Epit. L. LXXV., Vell. Pat. L. II. c. 16, Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. c. 40.

(3) Valer. Max. Lib. II. cap. 8. 1.

neretur, atque propterea tandem lege cautum esset, *ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hostium unâ acie cecidisset;* atque haec lex in desuetudinem abiisset, *L. Marius* et M. Cato tribuni plebis novam legem tulisse narrantur, quae Imperatoribus poenam minaretur, qui aut hostium occisorum in proelio, aut amissorum civium falsum numerum literis senatui ausi essent referre, atque simul juberetur, *Imperatores, cum primum Urbem intrassent, apud quaestores urbanos jurare debere, de utroque numero vere ab ipsis Senatui esse scriptum.*

Tum apud *Ciceronem* diversi *Marii* commemorantur: qui vero an inter se propinquitate conjuncti fuerint, satis certâ fide affirmari non potest. Fuerunt autem hi:

4.

Lucius Marius L. F.

Hic dicitur Sallustio, qui Bibuli Proconsulis in Syriâ quaestor fuerat, A. U. C. 703 successisse (1). Atque secundum *Pighium* (2) hic *L. Marius* idem est atque is, de quo loquitur *Asconius Pedianus* (3).

---

(1) Cic. ad Divers. Lib. II. Epist. 17.
(2) Pighii Annal. ad A. U. C. 703.
(3) Ascon. Pedian. in Orat. Cic. pro Scauro p. m. 132.

Quum nimirum M. Scaurus ex praeturâ urbanâ Sardiniam provinciam obtinuisset, atque Sardi de eo Romae questi essent, P. Valerius Triarius, adolescens ad dicendum paratus et notae industriae, hunc Scaurum apud M. Catonem Praetorem repetundarum accusavit, et subscriptores accusationis cum alios, tum etiam *L. Marium L. F.* habuisse dicitur.

5.

Marcus Marius.

Hic homo disertus et nobilis vocatur a *Cicerone* (1), et pro Valentinis municipalibus apud C. Verrem locutus fuisse narratur. Quis fuerit, ignoramus, at diversus fuisse videtur ab alio ejusdem nominis

6.

Marco Mario,

ad quem *Cicero* (2) quatuor epistolas scripsit. *Corradus* hunc *M. Marium* eundem esse statuit atque

(1) Cic. Orat. Verrin. V. c. 16.
(2) Cic. Epist. ad Divers. Lib. VII. Epist 1. 2. 3. 4.

M. Marium Gratidium, Quinti Ciceronis in Asiâ legatum. Sed *P. Manutius* (1) ostendit, id, minime verisimile esse, quod *Marii* et *Gratidii* diversarum familiarum fuerint, et legatus Q. Ciceronis *Gratidius*, non vero *Marius* dictus sit. *Ernestus* hunc *Marium* non diversum putat ab illo, qui, ut modo supra vidimus, Sallustii successor fuit, et Sidicinum fuisse, vel Valentinum. *Orellius* contra arbitratur hunc *Marium* fuisse Triarii subscriptorem. Utra harum sententiarum praeferenda sit, ignorare me fateor, quum utraque non nisi merâ conjecturâ nitatur.

7.

Sextus Marius

fuit, uti constat e *Cicerone* (2) cum C. Titio legatus Dolabellae.

8.

Titus Marius.

Commemoratur a *Cicerone* (3) in epistolâ quâdam ad Rufum scriptâ, et refertur inter praedes

---

(1) Manut. in Comment. ad Cicer. Epist. ad Divers. Lib. VII. Epist. 1.

(2) Cic. Epist. ad Divers. Lib. XII. Epist. 15. § 11.

(3) Cic. Epist. ad Divers. Lib. V. Epist. 20.

Valerianos, de quibus videatur *Manutius*. Ceterum de eo nihil novimus, nisi eum fuisse publicanum.

9.

Calventus Marius.

Dicitur orationem scripsisse in Ciceronem, ex cujus sententiâ Senatus illum hominem de provinciâ revocaverat. Scribit *Cicero* ad Quintum fratrem (1): *Alterum est de* Calventii Marii *oratione. Quod scribis, miror: tibi placere, me ad eum rescribere, praesertim cum illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero, meam in illum pueri omnes, tamquam dictata, perdiscant.* Sed lectio incerta est. *Lambinus* legendum putat *de Calveni Matii oratione*, quod Matius *calvus* fuerat, et *Cicero* ad illius calvitiem in *Epistolis ad Atticum* saepius respexerit. Sed audiamus *P. Manutium* (2): CALVENTII MARII. *L. Pisonem, cujus maternus avus, ut apud Pedianum legimus*, Calventius *est appellatus, videtur intelligere.* Calventum *cur potius, quam* Calventium, *cur item Marium nominet, haud*

(1) Cic. Epist. ad Quintum frat. Lib. III. Epist. 1.
(2) Manut. in Comment. ad Cicer. Epist. ad Quintum frat. p. m. 96.

facile dixerim, nisi inter Quintum et Marcum jam convenerat, ut eum fictis nominibus, Caesaris maxime causâ, qui Pisonis erat gener, appellarent. — Est igitur ex sententiâ *Manutii* hic *Marius* non nisi persona ficta.

Hi sunt, si recte memini, ad unum omnes *alii* Marii, quorum in scriptis Ciceronis memoria exstat. Verum praeter hos alii etiam ab aliis Scriptoribus nominantur, de quibus nunc paucis agemus.

10.

Marius.

Sic v. c. a *Plutarcho* (1) inter captivos a Lucullo in bello Mithridatico ad Achaeorum portum factos, commemoratur quidam *Μάριος, ὁ παρὰ Σερτωρίου στρατηγός. Marius, qui missus a Sertorio dux fuerat.* Quis hic homo fuerit, non dicitur, sed eum fuisse narrat *Plutarchus* (2) *ἑτερόφθαλμον, altero oculo privatum*, atque edixisse Lucullum ante certamen initum militibus *μηδένα κτείνειν ἑτε-*

(1) Plut. in Lucullo p. 499. C.
(2) Plut. in Lucullo l. l.

ῥόφθαλμον, ὅπως ἐξονειδισθεὶς καὶ καθυβρισθεὶς ἀποθάνοι. *neminem unoculum interficere, ut probris et contumeliis vexatus necaretur* (1).

11.

Titus Marius Urbinas.

Apud *Valerium Maximum* (2) legimus: *Neque aliis dignus fuit* T. Marius Urbinas: *qui ab infimo militiae loco, beneficiis divi Augusti imperatoris ad summos castrenses honores perductus, eorumque uberrimis quaestibus locuples factus, non solum ceteris vitae temporibus* ei se fortunas suas relinquere, a quo acceperat, *praedicavit, sed etiam*

(1) Glandorpius in Onom. Rom. p. 577 hunc hominem, quem *Plutarchus* simpliciter *Marium* vocat, *M. Marium Varum* appellat, et non modo *Plutarchum* testem citat, verum etiam addit, *Eutropius sexto clarius*. At apud *Eutropium* nihil legitur de hoc *Mario*, nec quâ de causâ illum Glandorpius *M. Marium Varum* appellaverit, investigare potui. Praeterea idem p. 578 inter *Marios* refert M. Marium Perpennam, interfectorem Sertorii: verum perperam hunc appellat *Marium*, qui simpliciter *Marcus Perpenna* nominabatur. Glandorpium in hunc errorem induxisse videntur verba *Livii* ex Epit. XCVI. *Imperium partium ad Marium translatum est*: uti olim ibi legebatur. Videantur Intt. ad illam epitomen.

(2) Val. Max. Lib. VII. cap. 8. 6.

pridie quam expiraret, idem istud ipsi Augusto dixit: cum interim ne nomen quidem ejus tabulis testamenti adjecerit. Verum quis iste *Titus Marius* fuerit, interpretes ignorant. *Cicero* quidem, ut vidimus supra, *Titum Marium* quemdam commemorat, sed rationes chronologicae obstant, quominus hic *Marius* idem habendus sit, atque iste publicanus a *Cicerone* commemoratus. Atque viri docti, quod *Titum Marium* ignorant, ejus loco legere malunt vel *Titus Tarius*, vel *Titus Arius*. Videantur igitur interpretes.

12.

Marius.

Commemoratur quoque ab Horatio (1) *Marius* quidam, qui, quum puellam Helladem efflictim amaret, verum ab ipsâ sperneretur, puellam interfecisse et se ob istud scelus summâ aegritudine afflictum praecipitasse narratur.

---

(1) Horat. Sat. Lib. II. Satir. III. vs. 277.

13.

C. Marius poëta.

Inter poëtas Latinos ab *Ovidio* commemoratos etiam *Marius* quidam est, de quo *Ovidius* (1) canit,

Et Marius, *scripti dexter in omne genus.*

Interpretes *Ovidii* de hoc *Mario* nihil habent, et *Burmannus* simpliciter dicit, *hunc ignoro*. Praeterea ejus quidem quoque meminit *Gyraldus* (2), sed nihil aliud dicit nisi: *Marius ad omne carminis genus promptissimus fuit.*

Scriptor quidam ab A. Majo primum editus *L. Caecilius Minutianus Apulejus* in libello *de Orthographiâ* (3) item commemorat hunc poëtam, ubi ait *et C. Marius in variis carminibus...* Ad quem locum Majus nihil affert praeter locum Ovidii; Osannus (4) vero addit, operae fortasse pretium fore quaerere, an hic Marius, de quo aliunde nihil liquet, idem sit, cujus distichon *Darii* nomine citatur a vetere Boessii interprete Ovidii in Ibin 337.

---

(1) Ovid. Epist. ex Ponto L. IV. Ep. 16 vs. 24.

(2) Gyraldi Oper. Tom. II. p. 231 D., cui addatur Vossius Oper. Tom. III. de Poët. Lat. p. 241 B.

(3) Apulej. de Orthogr. p. 5. Edit. Frid. Osanni.

(4) Osann. Animadv. in Apuleji Orthogr. p. 36.

14.

Marius Rhetor.

Ex opinione *Gyraldi* (1) eodem tempore, quo ille ab Ovidio citatus *Marius* floruit, etiam vixisse dicitur quidam *Marius Rhetor*, atque declarat *Gyraldus* se nescire, an hic rhetor et ille alter poëta unus idemque homo fuerit, quippe quod illorum temporum poëtae simul etiam causas egerint, vel fictas declamaverint.

15.

Marius Nepos.

A *Tacito* (2) hic inter prodigos et ob flagitia egentes commemoratur, quos Tiberius Imp. senatu moverit, aut sponte cedere passus sit.

16.

Sextus Marius Hispanus.

Huic Hispano, Tiberii amico, immensae divitiae suae perniciei fuerunt. Filiam habebat formosissi-

---

(1) Gyraldi Oper. Tom. II. p. 231. D. Conf. quoque Vossius Oper. Tom. III. de Poëtis Lat. p. 241. B.

(2) Tacit. Annal. L. II. cap. 48.

mam. Hanc, ne a Tiberio ipsi injuria inferretur, aliquo ablegaverat. Quod patris factum libidinosus Imperator aegerrime ferens, *Marium* incestûs accusavit, eumque unâ cum filiâ de saxo Tarpejo dejecisse perhibetur (1).

17.

Publius Marius sive Marius Celsus.

Hic fuit, teste *Tacito* (2), consul cum L. Asinio Gallo, tempore Neronis a. Chr. 62, et idem esse videtur atque is, de quo legimus apud *Frontinum* (3), ipsum, L. Pontio Telesino et C. Suetonio Paullino coss. a. Chr. 66, curatorem aquarum constitutum fuisse. Atque fortasse etiam hic non diversus est ab illo, qui sub Galbâ, Othone et Vitellio summis honoribus functus est, cujusque facta describuntur a *Plutarcho* (4) et *Tacito* (5), unde plura peti possunt. Theod. Ryckius (6) *P. Marium* et *Marium*

(1) Tacit. Annal. L. VI. cap. 19, Dio Cass. Tom. II. p. 894.
(2) Tacit. Annal. L. XIV. cap. 48.
(3) Frontin de Aquaed. p. m. 185.
(4) Plut. in Othone p. 1064 et 1065.
(5) Tacit. Hist. L. I. c. 14, 31, 71. L. II. c. 23, 24, 39, 60.
(6) Vid. ipsius Animadvers. ad Tacit. p. m. 244.

Celsum putat aut fratres germanos aut patrueles fuisse (1).

18.

Marius.

In Britanniâ quoque floruit quidam *Marius*, de quo *Polydorus Virgilius* (2) ita loquitur: *Marius deinde ex Arvirago genitus, anno salutis humanae LXXII regnum obtinet, cui statim bellum ingens cum Pictis fuit.*

19.

Marius Praenestinus.

Tamquam par amicorum commemorantur duo juvenes Praenestini, *Marius* et Caper dicti, a *Silio Italico* (3) his verbis:

---

(1) Glandorpius discernit hos duos *Marios* a se invicem. Illum procuratorem aquarum vocat simpliciter *P. Marium*, hunc vero ducem Othonianum, cui Vitellius consulatum servasse dicitur, vocat *M. Marium Celsum:* quum tamen praenomen *Marci* in scriptis veterum non reperiatur, et in Fastis Consul. ab Almelovenio editis, hic idem *P. Marius Celsus* a. Chr. 69 iterum Consul fuisse dicatur.

(2) Polyd. Virgilii Hist. Angl. L. II. p. 53. Edit. Anton. Thysii 1651.

(3) Sil. Italic. Lib. IX. vs. 401 sq.

Sternitur unanimo Marius *succurrere Capro*
Conatus, metuensque viro superesse cadenti.
Lucis idem auspicium, ac patrium et commune duobus
Paupertas, sacro juvenes Praeneste creati
Miscuerant studia, et junctâ tellure serebant.
Velle, ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens aevo, ac parvis dives concordia rebus.
Occubuere simul: votisque ex omnibus unum
Id Fortuna dedit, junctam inter proelia mortem.

20.

Marius Maturus.

Hic item ex *Tacito* nobis notus est. Primum legimus (1): *Maritimas tum Alpes tenebat Procurator* Marius Maturus. *Is concitâ gente (nec deest juventus) arcere provinciae finibus Othonianos intendit.* Deinde (2): *Fabius Valens, e sinu Pisano, segnitiâ maris, aut adversante vento, Portum Herculis Monoeci depellitur. Haud procul inde agebat* Marius Maturus, *Alpium maritimarum Procurator, fidus Vitellio, cujus sacramentum, cunctis circa hostilibus, nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum*, ne Galliam

(1) Tacit. Hist. Lib. II. c. 12.
(2) Tacit. Hist. Lib. III. c. 42 sq.

Narbonensem temere ingrederetur *monendo terruit: simul ceterorum fides metu infracta. Namque circumjectas civitates, Procurator Valerius Paullinus, strenuus militiae, et Vespasiano ante fortunam amicus, in verba ejus adegerat. Concitisque omnibus, qui exauctorati a Vitellio bellum sponte sumebant, Forojuliensem coloniam, claustra maris praesidio tuebatur: eo gravior auctor, quod Paullino patria Forum Julii, et honos apud praetorianos, quorum quondam tribunus fuerat. Ipsique pagani, favore municipali, et futurae potentiae spe juvare partes annitebantur. Quae ubi paratu firma, et aucta rumore, apud varios Vitellianorum animos increbuere; Fabius Valens cum quatuor speculatoribus, et tribus amicis, totidem centurionibus ad naves regreditur:* Maturo, *ceterisque remanere, et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit.*

21.

Marius Priscus,

ex Baeticâ Hispanus. Hunc ex *Plinii* Epistolis (1) novimus. Eodem illo anno, quo Plinius consul de-

---

(1) Plinii Epist. Lib. II. Epist. 11.

signatus erat, h. e. a. Ch. 100, in jus vocabatur hic *Marius* ab Afris, quibus Proconsul fuerat, et accusabatur, *quod ad innocentes condemnandos, interficiendos etiam pecuniam accepisset.* Afri contra *Marium* sibi patronum ab Imperatore et Senatu Plinium petebant: qui, quum veniam illius muneris impetrasset, tantà virium intentione Afrorum causam agebat, ut Trajanus, qui consul erat et Senatui ipse praesidebat, saepius libertum Plinii admoneret, *ut voci laterique consuleret.* Ceterum finis hujus amplissimae cognitionis hic erat, ut *Marius* relegaretur, eique Urbe et Italiâ interdiceretur. Quomodo autem non sine Deorum indignatione et Afrorum ploratu iste *Marius* in exsilio vixerit, et tempus edendo et bibendo luxuriose transegerit, his verbis decantavit *Juvenalis* (2):

Exul ab octava Marius *bibit et fruitur Diis*
Iratis: at tu victrix provincia ploras.

22.

Marius Paulus.

Sub Divis Fratribus, M. Aurelio Antonino Vero et L. Annio Antonino Vero, vixit quidam *Marius Pau-*

(1) Juvenal. Sat. I. vs. 49 et 50.

lus, cui, quum in fidejussione quâdam non satis honeste se gessisset, ut ex Pandectis (1) constat, hi Imperatores rescripserunt, *nullam actionem eum propter suam calliditatem habere*, *quia mercede pactâ ad talem redemtionem accesserat.*

23.

Marius Maximus.

Hic fuit historicus scripsitque vitas Imperatorum. Ejus meminit *Aelius Spartianus* (2), et *Ammianus Marcellinus* (3) testatur, suâ aetate e poëtis Juvenalem, ex historicis Marium Maximum studiosissime lectitatos fuisse. En verba Ammiani: *Quidam detestantes*, *ut venena*, *doctrinas*, *Juvenalem et* Marium Maximum *curatiore studio legunt*, *nulla volumina*, *praeter haec*, *in profundo otio contrectantes.* At minus benevole de hoc historico judicat *Flavius Vopiscus* (4), ubi ait: *Quid* Marius Maximus, *homo omnium verbosissimus*, *qui et*

---

(1) Pandect. Lib. XVII. Tit. I. § 7.

(2) Hist. Aug. Script. Tom. I. p. 23. Edit. J. Gruteri: ad quem locum vid. interp. et Tom. I. p. 817: add. Vossius, Oper. Tom. IV. de Hist. Lat. p. 57 A. B.

(3) Ammian. Marcell. Lib. XXVIII. cap. 4. p. 431 Edit. Ernest.

(4) Hist. Aug. Script. Tom. II. p. 691.

mythistoricis se voluminibus implicavit. — Ceterum hic *Marius Maximus* non diversus fuisse videtur ab illo Mario Maximo, cui Macrinus *praefecturam Urbis* tradidisse legitur (1).

24.

Marius Secundus.

Sub Macrino etiam floruit quidam *Marius Secundus*, Senatoribus ab hoc Imperatore adscriptus, et Phoenices praeses, qui in Aegypto nonnulla administrabat, verum periit seditione militari, quemadmodum ipse Macrinus cum filio suo Diadumeno (2).

25.

Marius tyrannus.

Fuit unus ex illis sic dictis triginta tyrannis, quem apud *Trebellium Pollionem* (3) legimus fuisse fabrum ferrarium et per triduum imperasse.

---

(1) Dio Cass. Tom. II. p. 1323.
(2) Dio Cass. Tom. II. p. 1342, Eutrop. Lib. VIII. cap. 21.
(3) Hist. Aug. Script. Tom. II. p. 267, Eutrop. Lib. IX. c. 9.

26.

Marius.

Exstat item in *Corpore Juris* alterius *Marii* cujusdam, incerti hominis mentio, ad quem rescripsit Maximinus Imperator (1).

27.

Marius.

Praeterea etiam apud *Libanium* (2) legimus de quodam *Mario*, quem ille scriptor virum ingenuum appellat. Hic magistratu quodam functus fuisse videtur, idque Antiochiae. Hanc enim urbem de eo queri testatur *Libanius* aliâ epistolâ (3). Plura de eo apud hunc scriptorem non reperiuntur.

28.

Fabius Marius Victorinus.

Theologus, Rhetor et Grammaticus circa a. Chr. 355 (4).

---

(1) Cod. Justin. Lib. II. Tit. III. L. 13.

(2) Liban. Sophist. Epist. 1044.

(3) Liban. Sophist. Epist. 1354.

(4) Saxii Onom. Lit. part. I. pag. 407, Vossius Oper. Tom. III. de Poët. Lat. p. 248. A.

29.

Servius Marius Honoratus,

Virgilii interpres. (1).

30.

Claudius Marius Victor.

Aliis *Victorinus*, Massiliensis Rhetor, mortuus est a. Chr. 445 (2).

31.

Marius Aventicensis.

In Helvetiâ Episcopus et Chronographus circa a. Chr. 581 (3).

32.

Dominicus Marius Niger.

Venetus, Philolologus et Geographus, vixit sub finem saeculi XV p. Chr. (4).

---

(1) Vid. Saxii Onom. Lit. part. I. p. 471.

(2) Vid. Saxii Onom. Lit. part. I. p. 500, Vossius Oper. Tom. III. de Poët. Lat. p. 250. B.

(3) Vid. Saxii Onom. Lit. part. II. p. 59.

(4) Vid. Saxii Onom. Lit. part. II. p. 504.

33.

Marius, Franc. Philelphi F.

De hoc juvene nobis haec refert Gyraldus (1): *Franc. Philelphi filii fuerunt* Marius *et Cyrus ex Chrysolorae Graeci hominis doctissimi filiâ, quorum* Marius *paratissimo fuit ingenio et memoriâ quâdam incredibili: nam, ut ipse ex Cyro fratre audivi, uno pene stans vestigio centum per ordinem materiam proponentibus, confestim cuique, quo proposita fuerat ordine, carmine referebat. Longe tamen hic in coronis promptior, quam scriptis cognitus est.*

Atque haec sufficiant de diversis *Mariis*, quorum numerum ampliorem facile reddere possem, si omnes enumerare vellem, quorum nomina in veteribus Inscriptionibus nobis sese offerunt, si quidem solus *Gruterus*, ne quid de Inscriptionum collectoribus, *Georg. Fabricio*, *Justo Lipsio*, *Reinesio* et aliis dicam, *quinquaginta et quinque* Marios in Indice Corp. Inscript. recenset. Verum ex iis, quos hoc loco enumeravi, jam satis superque constare arbitror, ab antiquissimis inde temporibus usque ad recentiorem aetatem nunquam *Marios* defuisse, illudque nomen admodum vulgare fuisse.

(1) Gyraldi Oper. Tom. II. p. 533. E. F.

THESES.

I.

Gloria populi Romani minime quidem parvi aestimanda est, attamen si animadvertimus, quibus modis subinde gloriam sibi acquisiverint, omnino fatendum est, hoc non semper honeste factum fuisse.

II.

Post bellum Punicum II inprimis coeperunt Romani inter exteros reges populosque discordiae semina spargere, quo facilius ipsos sibi subjicerent.

III.

Carthaginis et Numantiae excidium Romano imperio magis obfuisse quam profuisse censeo.

IV.

Nimis acerbe, nec satis juste *Dio Cassius* mihi de patre *Mario* judicasse videtur, Oper. Tom. I. p. 40. Fragm. 94, ubi legimus: *Ὅτι ὁ Μάριος ἦν γὰρ ἄλλως καὶ στασιώδης καὶ ταραχώδης, καὶ παντὸς μὲν τοῦ συρφετώδους, ἀφ' οὗπερ καὶ ἐπεφύκει, φίλος, παντὸς*

δὲ τοῦ γενναίου καθαιρέτης. καὶ γὰρ εἰπεῖν τι καὶ ὑποσχέσθαι καὶ ψεύσασθαι καὶ ἐπιορκῆσαι, ἐν ᾧ πλεονεκτήσειν ἤλπιζεν, ἑτοιμότατα ἐτόλμα. τό τε συκοφαντῆσαί τινα τῶν ἀρίστων, καὶ τὸ ἐπαινέσαι αὖ τῶν κακίστων ἐν παιδιᾷ ἐτίθετο. καί μοι μηδεὶς θαυμάσῃ, εἰ τοιοῦτός τις ὢν ἐπὶ πλεῖστον ἔλαθεν ἐφ' οἷς ἐκακούργει. ἔκ τε γὰρ τῆς περιτεχνήσεως καὶ ἐκ τῆς τύχης, ῇ παράπαν τὰ πρῶτα ἀγαθῇ ἐχρήσατο, καὶ ἀρετῆς δόξαν ἐκτήσατο. id est: *Vir erat* Marius *seditiosi ac turbulenti ingenii, et Plebejorum omnium, a quibus et ipse genus ducebat, perquam studiosus, omnibus nobilibus infestissimus. Dicere enim ac polliceri quidlibet, mentiri atque etiam pejerare, ubi utilitatem aliquam speraret, numquam dubitabat. Jam calumniari optimum quemque, aut pessimum laudare, ludus illi ac jocus erat. Neque mirari decet ejusmodi viri maleficia tam diu latuisse: siquidem artificiosâ quadam industriâ, ac fortunâ, quâ ab initio secundissimâ ubique usus est, virtutis adeo famam sibi comparavit.*

V.

Vere de *C. Mario* judicasse mihi videtur *Pighius* Annal. ad A. U. C. 652. *Hic alter est* C. Marii *triumphus longe clarissimus, post quem si subito diem obiisset extremum, inter felices merito, tot rebus prospere gestis, haberi potuisset.*

VI.

Carmen Ciceronis, quod *Marius* inscribitur, cujusque nonnulli versus supersunt, non a Cicerone juvene, quum Scaevola pontifex maximus etiam vivebat, scriptum fuisse puto, ut putabat *Nobbius.*

VII.

Rationes, ob quas Marklandus et F. A. Wolfius quatuor orationes, *Post reditum in Senatu*, *Ad Quirites post reditum*, *Pro domo suâ ad Pontifices* et *de Haruspicum responsis*, Ciceroni abjudicandas esse statuerunt, Gesnerus, Saxius, Ruhnkenius, Wyttenbachius et alii, non satis firmas et justas merito censuerunt.

VIII.

Ex loco Ciceronis de Leg. II. cap. 4. demonstrari non potest, pueros Romae ad unum omnes in Scholis leges XII tabularum edidicisse.

IX.

In Velleji Paterculi Lib. II. cap. *11.* pro »Cajus Marius natus *equestri loco*" scribendum esse conjicio, *ignobili loco.*

X.

Prudenter Pythagoram discipulis suis initio institutionis aliquamdiu ἐχεμυθίαν imposuisse arbitror.

XI.

Perperam omnino statuit Meinersius in Opere his-

torico, *de origine*, *progressu et decremento doctrinarum apud Graecos et Romanos* Tom. I. p. 119, non Pythagoram, sed Socratem fuisse inventorem vocabuli *Philosophiae*.

XII.

Non soli Socrates, Plato, Cicero et alii, sed his etiam antiquiores sapientiâ excellentes viri, ab uno Supremo Numine hanc rerum universitatem gubernari crediderunt.

AAN MIJNEN VRIEND H. J. HAZENBERG, BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT DOCTOR IN DE LETTEREN.

Zoo is uw werk voltooid! het feestuur is geslagen,
Dat U ten Priester maakt in Pallas heiligdom.
Geluk! mijn dierbre Vriend, gij zaagt dien morgen dagen:
De vreugde lacht U aan, verbeidt U van rondom.

De weg is afgelegd! Gij moogt den prijs verwachten,
Waarop Gij jaren tijds het oog gevestigd hieldt;
Thans valt hij U ten deel, na ijv'rig pligt betrachten;
Mijn wensch is nu vervuld, *uw* hoop werd niet vernield.

Lesch, Priester van Minerv', bij haar gewijde altaren
Uit haar gewijde bron, uw dorst naar wetenschap;
Prijk' steeds uw naam aan 't hoofd van wijsheids Priesterscharen.
Ga ijv'rig, rustloos voort, en stijg van trap tot trap.

—

Gij, Leidens Schutsgodin! blijf Gij mijn Vriend bewaken,
Opdat hij veilig ga op 't ingeslagen pad:
Verzell' hem steeds uw licht, zij hem dat licht ten baken,
In uw gewijde hal vermeer' zijn wijsheids schat.

Hebt Ge, o Amor, reeds uw schichtje
In zijn jeugdig hart geboord:
Hebt Gij, dartel vrolijk wichtje,
Ook zijn zielrust al gestoord:

Knaap, ga dan uw Meester vragen,
Dat mijn vriend in weinig tijd,
Haar, wier min hem kon behagen,
Naar het Echtaltaar geleid!

O! smaak eerlang, mijn Vriend! die zalige genugten,
Die reine huw'lijksmin den deugdgezinden biedt,
Oogst op uw huidig werk de allereëlste vruchten,
Leef vrolijk, leef te vreên, leef wars van bang verdriet!

Cs. VAN SCHAICK Jr.
Pred. te Dwingelo.